K77

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

CUM PROLEGOMENO

DE ENTE SUPERNATURALI

(Ad usum stricte privatum)

« Si scires donum Dei. » (JOAN. IV, 10).

I

PROLEGOMENA

PARS PRIOR : DE GRATIA ACTUALI

P. RIEDINGER S.J.

ALMA COLLEGE
234
LIBRARY
R442
Alma, California

ROLLARII FLANDRORUM
TYPOGRAPHIA JULII DE MEESTER
1912

SIGNA ADHIBITA

B = Denzinger-Bannwart, Enchiridion Symbolorum.

R = Rouët de Journel, Enchiridion Patristicum.

K = Kirch, Enchiridion Fontium Historiae Eccl. antiq.

M = Migne, Patrologia.

DTC = Dictionn. de théol. Vacant Mangenot.

DA = Dictionn. d'apolog. d'Alès.

Th. = S. Thomas.

Prolegomena

ART. I. ADJUMENTA QUAEDAM

1. — **Patres** qui de gratia scripserunt vide apud Suarez, *De Gratia, Proleg. 6, cap. 6.*

Maxima, in materia de gratia (actuali praesertim), est auctoritas *S. Augustini,* cujus praecipua opera huc spectantia vide ad calcem hujus ariiculi.

Doctrinam *Patrum Graecorum* invenies collectam ab Isaac Habert, *Theologiae Graecorum Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae libri tres,* Paris 1647.

Inter Patres Graecos eminet *S. Cyrillus Alexandrinus,* cujus doctrina de donis justitiae exponetur in altera parte tractatus.

2. — **Theologi :**

a) *Veteres* :

Petrus Lombardus *II D. 26-29 ; IV D. 1-4 ; D. 14* (et commentatores), S. Thomas *I. II q. 109-114 ;* II Sent. D. 26-30.

Thomistae ; Barthol. Medina, Salmanticenses, Joan. a S. Thoma, Gonet, Gotti, D. Soto, P. de Ledesma, Didac. Alvarez, Thom. de Lemos, Bañez, Serry, Billuart.

E Societate : Bellarminus (Cf. Le Bachelet,Recherches 1911, p. 574-598), Molina, Gregor. de Valentia, Suarez, Vasquez, Turrianus, Ripalda, Tanner, Viva, Livinus de Meyere, Wirceb.

Alii : Struggl, Vega, Berti, Tournely, Montagne (Migne, Cursus t. X), Habert (ibid).

b) *Recentiores* : Mazzella, Palmieri, Schiffini, Cercia, Pesch, Billot, Hurter, del Val (O. S. A.), del Prado (O. P.), Jungmann, Van Noort, Van der Meersch.

De materia nostra gallice scripserunt : Monsabré *(Carême 1876),* Janvier *(Carême 1910)* ; de Broglie *(Confér. sur la vie naturelle, t. I,* Poussielgue *1878)* ; Terrien *(La grâce et la gloire)* ; Bellamy *(La vie surnaturelle)* ; de Régnon *(Bañez et Molina)* ; H. Gayraud *(Thomisme et Molinisme,* etc.); Portalié, DTC art. « *St. Augustin* », « *Augustinianisme* », « *Augustinisme* ». Mgr. Gay *(Vie et vertus chrétiennes t. I)* ; De Smedt *(Notre vie surnaturelle).*

Reliqua utilius indicabuntur in decursu tractatus.

Opera S. Augustini de Gratia

(Portalité, *St. Augustin,* DTC, c. 2296 sq. ; Fessler-Jungm. II^a, 313).

3. — **A. Contra Pelagianos** (412-430).

1. *De peccatorum meritis et remissione,* seu de Baptismo parvulorum, libri tres ad Marcellinum, — *anno 412* : = l. I de Adami lapsu, ut causa peccati parvulis inhaerentis et

Baptismo remittendi ; l. II contra impeccabilitatem pelagianam ; l. III refutat Pelagii expos. in epist. ad Rom. — M. 44. 109-200. — *R. 1715 sq.*

2. *De Spiritu et Littera* (= de gratia et Lege) ad Marcellinum, liber unus = anno 412 ex. — 413. — Explicat sententiam quam in praec. libro protulerat, posse fieri ut sit homo sine peccato, quamvis nemo tam perfectae justitiae in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. M. 44, 201-246. — *R. 1729 sq.*

3. *De natura et gratia* ad Timasium et Jacobum *anno 415* : refutat librum Pelagii *de Natura*. M. 44, 247-290 — *R. 1791 sq.*

4. *De perfectione justitiae hominis*, seu Epistola ad Eutropium et Paulum episcopos, anno 415. — Refutatur doctrina Caelestii, qualis exponebatur in scripto *Definitiones* ex ipsius Caelestii opere. Cap. 1-7 refutantur rationes 16 Caelestii ; 8 sq, explicantur textus S. Scripturae pro impeccabilitatis possibilitate adducti. M. 44, 221-318. — *R. 1794 sq.*

5. *Liber de Gestis Pelagii*, anno 417, refert et explicat Acta synodi Diospolitanae.—Operis sui compendium tradit n. 60-66 col. 355 sq. M. 44, 319. — *R. 1850 sq.*

6. *Epist. 186 ad Paulinum Nolanum*,anno 417 compendio tradit acta in syn. Diospol. — M. 33, 815 sqq. ; *R. 1445 sq. Epistola 188 ad Julianam*, Demetriadis matrem, anno 417 ex. — 418. M. 33, 848. Cfr. Epist. *Pelagii ad Demetriadem*, M. 33, 1099, (apud Pesch, n. 77),de qua cfr. Garnier, P. L. XLVIII, 554.

7. *De Gratia Christi et de peecato originali*, anno 418 contra Pel. et Caelest., post damnatam per Concilia Africana summosque Pontifices eorum haeresim. — Scribuntur ad Pinianum et Melaniam, pios Romanos christianos quos Pelagius ad se trahere conatus erat. — M. 44, 359. — *R. 1852 sq.*

8. *Epist. 94 ad Sixtum* R. E. presbyterum, — et deinde Pontificem Sixtum III — anno 418, agit de gratuitate praedestonis. — Cfr. n. 19, « cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua ». M. 33, 874.

9. *De anima et ejus origine*, contra Vincentium Victorem, e Donatistis ad Eccam cath. conversum, miscuerat errores Manichaeorum, Origenistarum et Pelagianorum, — anno 420. — M. 44, 475. — *R. 1878 sq.*

10. *De Nuptiis et concupiscentia* ad Valerium comitem, anno 419 contra Julianum Eclan. = Calumniam Pelagianorum a se propellit quod nuptiarum honestatem condemnet. — M. 44, 413. — *R. 1867 sq.*

11. C. *duas Epistolas Pelagianorum*, l. IV. ad Bonifacium, Pontif. rom. Ecclae Episc. anno 420. — Erant illae duae epistolae a) altera ut videtur Juliani.,Eclan., in Apulia Episcopi Romam delata ut fideles ad suas partes traheret ; b) altera 18 Episcoporum Pelagianorum qui Tractoriam Zosimi non subscripserant. M. 44. 449. — *R. 1883 sq.*

12. *Libri VI contra Julianum* haeresis Pelagianae defensorem, anno 421. — Libris I et II opponit Juliano testimonia Patrum occid. et or., l. III-IV discutit ex ordine singula Juliani asserta. — *M. 44, 641. — R. 1898 sq.*

13. *Opus imperfectum contra Julianum* — non ante 428, morte Augustini interruptum. Agit praecipue de pecc. orig. l. I-III, de concupiscentia l. IV-V, de libertate in statu naturae lapsae l. VI. M. 44, 1049. — *R. 2007 sq.*

4. — B. Contra Semipelagianos (426-430).

14. *Liber de gratia et libero arbitrio* ad Valentinum abbatem — monasterii Hadrumetensis (nunc Mahomete in Tunisia), anno 426-427. — Explicat gratiam esse gratuitam illaesa libertate. — M. 44. *R. 1936 sq.* Cf. *ep. 214 et 215 ad Valentinum*. M. 33, 968-974, et *216 Valentini ad Aug.* col. 974. — *R. 1455.*

15. *De correptione et gratia* ad eumdem Valentinum, anno 427 : respondet monachis interrogantibus « ut quid nobis praedicatur atque praecipitur ut declinemus a malo et faciamus bonum si hoc nos non agimus, sed id velle et operari Deus operatur in nobis » (n. 4).— In hoc libro exponit differentiam inter *gratiam Adami et nostram*, n. 26-38. M. 44, 911. — *R. 1944 sq.*

16. *Epist. 217 ad Vitalem* anni 427 sec. Benedictinos, 420-424 sec. Garnier. — Maximi

momenti pro semipel. historia. — Adverte *duodecim sententias* de gratuitate gratiae, cap 5, n. 16 col. 984 « qui marquent un grand progrès de la question depuis les canons de Carthage en 418 » (Portalié). M. 33, 978. — *R. 1456 sq.*

17. *Liber de Praedestinatione sanctorum* (sc. fidelium) anno 428-429 ad Hilarium et Prosperum = de gratuitate primae gratiae. M. 44, 959. — *R. 1978 sq.*

18. *de Dono Perseverantiae* ad eosdem (428-429) respondet allegationibus semipel. Galliae oportere ut initium salutis proficiscatur a voluntate, et perseverantiam non esse Dei donum, sed pendere a libero arbitrio — M. 44, 993. — *R. 1992 sq.*

Cfr. *Epist. Hil. et Prosp.* ad Aug. 225 et 226. M. 44, 947 sq., et 33, 1002 sq.

5. — *Annus*	*Operum titulus*	*P. L.*	*C. V.*	*Retr.*
412	De Pecc. mer. et rem.	44		II, 38
412-13	De Spir. et Littera	44		II, 37
415	De natura et gratia	»		II, 42
	De perfectione justitiae	»	42	» »
417	De Gestis Pelagii	»	»	II, 47
»	Epist. 186 ad Paulinum	33, 815		
»	Epist. 188 ad Julianam	33, 848		
418	De Gratia Christi	44	42	II, 50
»	Epist. 94 ad Sixtum	33, 874		
419-20	De nuptiis et concupiscentia	44	42	II, 53
419-20	De anima et ejus origine	44		II, 56
420	C. duas Epist. Pelag.	44		II, 61
421	C. Julianum libri VI	44		II, 62
426-27	De Gratia et libero arb.	44		II, 66
427	De correptione et gratia	44		II, 67
427	Epist. 217 ad Vitalem	33, 978		
428-29	De Praedestinatione Sanctorum	44		
	De dono Perseverantiae	45		
429-30	Opus imperfectum Cont. Jul.	45		

ART. II. ARGUMENTUM SCRIPTURAE

Cf. Prat, *St. Paul* II p. 335 sq ; Tobac, *Le problème de la justification dans St. Paul ;* id. *La grâce dans l'Écriture.* DA ; Tixeront I p. 86 sq ; Corluy, *Spicil.* II p. 249-324 ; Frutsaert, *La Justice de Dieu dans S. Paul.* (*Recherches* 1911 p. 167-182).

6. — « Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut **regnavit peccatum** in mortem : ita **et gratia** regnet **per justitiam** in **vitam aeternam, per Jesum Christum** Dominum nostrum, » *Rom.* V, 20. 21.

His verbis Apostolus totum tractatus nostri expressit argumentum, quod aliis clarissimis Scripturae assertis statim ab initio juvat illustrare, ut incedentibus plerumque per vias difficiliores — siquidem, in hoc praesertim tractatu « loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram » (I *Cor.* II, 7) — lumen praeluceat Spiritus illius qui « omnia scrutatur, etiam profunda Dei. » (I *Cor.* II. 10.)

Complectitur vero **oeconomia salutis**, prout in libris Novi Testamenti, a Joanne praesertim et Paulo, describitur, haec fere capita :

7.— I. **Peccatum**, in quo per unius Adami inobedientiam omnes homines constituti sunt, ideoque nascuntur filii irae, morti obnoxii et concupiscentiae carnis subjecti (*Rom.* V, 12 ssq.).

8. — II. **Justitiam** cujus omnes homines iterum fiunt participes per secundi Adami obedientiam *(Ibid.)*

« Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ». I *Joan.* II, 2. — Cf. IV, 10 ; III, 5. 8. — *Mat.* XX, 28 ; XXVI, 28 ; *Marc.* X, 45 ; XIV, 24 ; *Luc.* XXII, 20.

1) Quatenus Christus est « *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ». (*Philip.* II, 8.)

« Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris » (I *Cor.* XV, 3).

2) Justitiam quam per mortem in cruce Christus nobis meruit, et nos participamus *in quantum Christo conjungimur*. Etenim : « qui habet Filium, habet vitam : qui non habet Filium, vitam non habet. » I *Joan.* V, 11. « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. » *Joan.* XV, 4.

« Ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu. » *Eph.* II, 21. 22.

Cf. *Rom.* VIII, 10 ; II *Cor.* V, 27 ; *Gal.* VI, 15.

9. — 3) **Christo autem conjungimur per fidem et baptismum.**

« Qui crediderit et baptizatis fuerit, salvus erit » *Marc.* XVI, 16.

a) **fides** : « qui credit in Filium habet vitam » *Joan.* II, 36, Cf. V, 24. « Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. » *Joan.* XI, 25 ; Cf. III, 15-17 ; « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » *Joan.* I, 12. 13. « Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. » I *Joan.* V, 1.

« In quo (Christo) et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis verstrae) in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. » *Ephes.* I, 13. 14. « Nos autem spiritu ex fide, spem justitiae exspectamus. » *(Gal.* V, 5.)

Fides autem quae justificat :

α) est donum gratuitum : « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. » *Ephes.* II, 8.

β) supponit praedicationem : « Fides ex auditu. » *Rom. X. 17*, Cf. *Gal. III,2-5* ; I *Thessal.* II. 13.

γ) opponitur visioni : « Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. » II. *Cor.* V, 7.

δ) est acceptatio Evangelii : « Legem ergo destruimus per fidem. » *Rom. III, 31* ; « Si enim, qui ex Lege, heredes sunt : exinanita est fides. » *Rom.* IV, 14 (Cf. Prat. II, p. 356).

10.— b) **baptismus** : « Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » *Joan.* III, 5 Cf. III, 3. « Omnis qui facit justitiam ex ipso natus est. » I *Joan.* II, 29. « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. » I *Joan.* III, 9. « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » *Gal.* III, 27. « Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. » I *Cor.* VI, 11. « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi : et omnes in uno Spiritu potati sumus. » I *Cor.* XII, 13. Cf. infra *Tit.* III, 6. 7.

Christum vero induimus baptizati, quatenus Christo consepulti sumus per baptismum in mortem : « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. » *Rom.* VI. 3, 4. (Cf. Prat. I, p. 305-311 ; II, p. 370 sq.) « Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu. » *Rom.* VIII, 1. « Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. » *Coloss.* III, 3. (Cf. Prat. II, p. 373) « Vivo ego, jam non ego : vivit vero in me Christus. » *Gal.* II, 19.

11. — 4) **Coeterum, talis cum Christo conjunctio, et justitia quam producit, prorsus gratuitae sunt.**

« Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae. » *Tit.* III, 6. 7. « Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum » I *Cor.* XV, 10.

Nihil ergo possumus nos in ordine salutis, sine gratia. « Quia sine me nihil potestis facere. » *Joan.* XV, 5. « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. » *Joan.* VI, 44. « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. » II *Cor.* III, 6. « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. » *Philipp.* II, 12. 13. « Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » *Rom.* IX, 16.

Per gratiam vero Deus operatur in nobis prout vult : « An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. » *ibid.* 21.

Salva tamen hominis libertate : « Adjuvantes autem exhortamur ne in

vacuum gratiam Dei recipiatis. » II *Cor.* VI, 1 ; (possent ergo homines, si vellent, in vacuum gratiam recipere) Cf. *Mat.* XXIII, 37.

5) **Justitia vero, qua Christo consepulti induimur, his praesertim perfectionibus constat :**

12. — a) **Remissione peccatorum.**
Cf. *Rom.* V ; I *Joan.* III, 6-10 ; V, 16-18.

13. — b) **Filiatione adoptiva.** « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus... » *Joan.* I, 12. « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. » I *Joan.* III, 1. « Omnes enim filii estis per fidem, quae est in Christo Jesu. » *Gal.* III, 26. « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum. » *Gal.* IV, 7. « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater)..., si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. » *Rom.* VIII, 15. 17.
Cf. *Ephes.* I, 13. 14 ; II *Cor.* I, 22 ; *Tit.* III, 6. 7.

14 — c) **Spiritu Sancto inhabitante.** « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis. » I *Cor.* III, 16. « An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo.... » I *Cor.* VI, 20. « Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet : hic non est ejus... » *Rom.* VIII, 9. 10.
Cf. II *Cor.* I, 22 ; V, 5 ; VI, 16 ; *Ephes.* II, 21, 22 ; IV, 30.
« Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit. » *Joan.* XIV, 16. 17. Cf. XIV, 23.

15 — d) **Consortio naturae et visionis divinae.**
« Per quem (Jesum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit ; ut per haec efficiamini divinae consortes naturae. » II *Petr.* I, 3. « Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. » II *Cor.* VI, 18. « Videmus nunc per speculum in aenigmate : tunc autem facie ad faciem, » I *Cor.* XIII, 12. « Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est. » I *Joan.* III, 2. Cf. supra *Gal.* IV, 7 ; *Rom.* VIII, 17.

16. — e) **Quae praeclarissima dona, prorsus gratuita, justus aliquo modo mereri potest.**
« Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur

in nobis». II *Cor.*IV,17.« In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. » II *Tim.* IV, 8. Cf. I *Cor.* XV, 58 ; *Hebr.* VI, 10 ; X, 35 ; *Mat.* XVI, 27 (*Rom.* II, 6) ; X, 42.

Haec sunt pretiosa illa dona de quibus Christus ad mulierem Samaritanam « Si scires donum Dei » (*Joan.* IV, 20), et quae Moyses prophetico Spiritu praenuntiavit, *Deuteron.* XXXIII, 10-12 : « Invenit eum in terra deserta in loco horroris et vastae solitudinis : circumduxit eum et docuit ; et custodivit quasi pupillum oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum et portavit in humeris suis. »

Praecitatis Scripturae effatis aperta fit tractatus materia et divisio, necnon ejus cum aliis theologiae partibus nexus.

17. — I. Tres autem sunt praecipuae tractatus partes :
1) De gratia actuali.
2) De statu justitiae, seu de gratia habituali.
3) De merito.

18. — II. Nexus cum aliis tractatibus :

Tract. de Ecclesia : Ecclesiae membra constituimur per baptisma et fidem.

Tract. de Verbo Incarnato : Christus nostrae justificationis causa est meritoria et exemplaris.

Tract. de Deo Trino : Inhabitatio Spiritus Sancti in justo, est missio tertiae personae Trinitatis.

Tract. de fide : Fides, in adulto, est dispositio necessaria ad justificationem.

Tract. de Sacramentis :

De Baptismo, quo renascimur ad vitam divinam.

De Eucharistia, quae vitae supernaturalis panis est. (Cf. *Joan.* VI ; *Luc.* XI, 3 ; *Mat.* VI, 11).

De Poenitentia, quae est secunda post naufragium deperditae gratiae tabula.

ART. III. ERRORES

I. De Pelagianismo.

19. — A. Bibliographia.

Portalié *St Augustin* DTC 2280 sq. ; *Augustinisme* 2517 sq. ; Tixeront II, p. 436-512 ; Garnier, *Dissert.* M. P. L. 48, 255-698 ; Praefatio editorum M. P. L. 44, 8-107 ; Tillemont, *Mémoires XIII* ; Héfélé, *Hist. des Conc.* II[1], p. 168-196 ; Hergenröther, *Kirchengesch.* II. p.

535 ss.; Harnack, *Dogmengesch.*[3], p. 156-189; Petavius, *De Pelagianorum et Semipelagianorum haeresi*; Schwane-Degert, *Hist. des Dogmes* III, p. 143-154; de Rubeis, *De peccato originali*, c. 4-12; 14, 15, 30; Wirceb. VII, n. 176-187; Loofs « *Pelagius* » Realenc. t. 15 p. 748-774; *Leitfaden* p. 418-435; Bruckner *Julian von Eclanum*; Klasen. *Die innere Entwicklung des Pelagianismus*; Zimmer, *Pelagius in Irland*; Mausbach, *Die Ethik des hl. Augustin*, II p. 7-25; Livinus de Meyere : *Dissert. de genuinis Pelagii et Massiliensium erroribus* (ad calcem Historiae Controversiarum de auxiliis, ed. 1705).

B. Historia.

I. Origo. Haeresis Pelagiana videtur orta ex oppositione contra Manichaeismum : exaggerat bonitatem naturae.

Cf. S. August. *De Nat. et grat.* c. 1, n. 1, M. 44, 247.

Cont. duas epist. Pel. II, n. 1-3, M. 44, 550.

Dependet autem error pelagianus a placitis philosophicis stoicorum ; Cf. Hieron. ep. 133 ad Ctesiph. n. 2, 3. M. 22, 1148-52.

S. Aug. *Cont. Jul.* l, 3, c. 7, n. 16 ; l. 5, c. 16, n. 51 ; l. 6, c. 18, n. 55. M. 44, 710. 812. 859.

Opus imperf. l. 1, c. 34. M. 45, 1062 sq.

20. — II. Praecipui propugnatores :

Pelagius, ineunte saec. V°, ab insulis Britannicis venit Romam. Doctrinam suam desumpsit partim a Theodoro Mopsuesteno et Rufino. Cf. Marius Mercator M. 48, 109-111.

S. Aug. *De gratia X^ti.*, II, 3, M. 44, 387.

Ejus scripta, Cf. Loofs *Realenc.* p. 750-757 ; Tixeront p. 437 sq. ; Zimmer.

Caelestius, vir juris peritus, nobilis, eunuchus. Utrum monachus ? Undenam venerit ? — Romae se Pelagio adjunxit.

Ejus scripta. Cf. Loofs, l. c. p. 758.

Bruckner, *Quellen zur Geschichte des pelagianischen Streites*, p. 70-79.

Julianus Eclanensis. « Vir acer ingenio, in divinis Scripturis doctus, graeca et latina lingua scholasticus. Prius ergo, quam impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in doctoribus Ecc^ae fuit ; postea vero quum haeresim Pelagii defenderet, scripsit adversus B. Augustinum, impugnatorem illius, libros quattuor et iterum libros octo. » (Gennadius, M. 45, 1736).

Doctrinae Pelagianae quasi architectus est.

Anno 418, cum 18 aliis episcopis, excommunicatus.

Ejus scripta cf. Bruckner, *Julian v. Eclanum* p. 31 sq.

Quellen p. 75-88.

21. — III. Damnatio.

1) **S. Augustinus**, praecipuus Pelagianorum adversarius.

Ejus scripta antipelagiana vide n. 3.

Summam ejus doctrinae Cf. Portalié *St Augustin* 2385 ss.

2) **Concilia**, in causa Pelagianorum congregata sunt 24. Cf. Wirceb. n. 177. Héfélé, Hergenröther l. c.

Praecipua sunt : *Synodus Diospolitana* (415), *Milevitana* (416), *Carthaginensis* (418). Cf. B. 101 (65) ss.

N. B. Canon 3[us] hujus concilii Carthaginensis (Cf. B. 102 nota 3.) probabilius authenticus est.

Ita { cum { Ballerini : *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum*, pars 2[a] § 7. M 56, 112 ss.
Héfélé p. 191.
Tillemont, l. c. p. 739.
Turmel *(Rev. d'hist. et de litt. rel.* 1902 p. 202).
Hurter III n. 665, 5 etc.
contra Loofs, *Leitfaden* p. 429 et alios plures.

3) **Summi Pontifices** pluries Pelagianismum damnaverunt. Difficultas movetur de Zosimo (417-418) Cf. Wirceb. n. 85-87 ; De Rubeis p. 30-48.

Sed approbatio authentica Pelagianismi a Zosimo Papa certo non habetur : « voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. » (August. *Cont. duas ep. Pelag.* l. 2, c. 3 M. 44, 574.)

C. Doctrina. Cf. K. n. 705, 706 ; 737-739.

22. — I. *In genere* doctrina Pelagianorum

1) reducitur ad naturalismum quemdam, non solum quatenus negat elevationem ad ordinem supernaturalem, sed etiam quatenus profitetur absolutam sufficientiam naturae suis viribus relictae ad bonum, atque plenam ejusdem a Deo emancipationem. Hinc :

2) affinis est philosophiae stoicorum.

3) Insurgit :

a) Manichaeismo,

b) Doctrinae morali laxae Joviniani.

II. *In specie*

23. — 1) **De libero arbitrio.**

Dogma fundamentale : Libertate arbitrii a Deo emancipatus est homo. Cf. Portalié l. c. 2381 (Emancipatus physice, licet subjectus legi morali) S. August. *Opus imperf.* I n. 78-82 M. 45, 1102.

Homo a Deo habet *posse* (i. e. naturam), a se autem *velle* (in arbitrio) et *esse* (sc. effectum).

S. Aug. *De gratia X^ti* c. 4. n. 5 M. 44, 362.

Maxima et inamissibilis hominis perfectio est liberum arbitrium, quo sine limite potest velle sive bonum, sive malum.

Pelag. *Epist. ad Demetriadem*, passim.

Hinc rigorismus : perfectio, utpote possibilis, imo facilis, omnibus obligatoria est. Cf. Portalié l. c. — Pelag. *ib.* c. 21 M. 33, 1114.

S. August. *De gestis Pelagii* n. 42 M. 44, 345 ; n. 11, col. 326.

In hoc dissensio radicalis a Lutheranismo.

24. — Dubium : Utrum Pelagiani negaverint concursum Dei naturalem ? affirmative, *probabilius,*

Cum Orosio, *De arbitrii libertate* n. 9, M. 31, 1188 sq. ; Hieronym. *Epist. 133* n. 6. 7. M. 22, 1155.

Bellarmin, *De gratia et libero arb.* l. 4, c. 4.

Suarez, *De gratia, proleg.* l. 5, c. 4.

De praedest. Dei, l. 2, c. 17, n. 7.

Arriaga, *De gratia,* D. 35. s. 4, n. 21.

Tanner, *De gratia,* p. 3, D. 3, n. 65-68.

Montagne, *De gratia* (Migne, Cursus X, 141-143).

Scheeben, *Dogmatik* § 131, n. 52 (t. II, p. 20) etc.

N. B. Siquidem a solutione hujus dubii pendet recta interpretatio multorum documentorum circa necessitatem gratiae, quaestio momento non caret. Cf. thes. 13, n. 124.

25. — 2) De peccato.

« Peccatum est voluntas faciendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. » S. Aug. *Opus imperf.* I, n. 44, M. 45, 1066 Cf. V, n. 28. col. 1474.

Essentialiter igitur omne peccatum est actus liber. *Hinc* :

a) Homo omne peccatum vitare potest. Cf. *Epist. ad Demetr.* passim (v. g. c. 2, M. 33. 1100 ; c. 17, col. 1110).

b) Non datur peccatum naturae. S. Aug. *De pecc. orig.* n. 14 M. 44, 391.

c) A fortiori, peccatum in alium hominem transire nequit.

d) Ergo impossibile est peccatum originale.

Inde tamen non negatur peccatum Adae *personale,*

nec damnum nobis illatum, quatenus Adamus nobis nocuit *exemplo.*

e) Baptismus igitur non requiritur ad delendum pecc. originale sed tollit peccata personalia,

auget similitudinem cum Christo,

sine illo nemo pervenit ad regnum coelorum, sed tantum ad vitam aeternam.

26. — Dubium : Quid regnum coelorum et vita aeterna juxta Pelagianos ? Probabilius etiam vita aeterna status est *supernaturalis.* Hinc ex damnatione Pelagianorum non damnata est doctrina de limbis puerorum.

Ita cum Lessio *(De perfectionibus moribusque divinis* l. XIII, n. 145) ; Seitz *(Die Heilsnothwendigkeit der Kirche,* p. 301) ; Mazzella, *(De Deo creante,* n. 1049), Pesch, (t. III, n. 290), etc.

Contra : Petav. *(De Pelag....* c. V ; *De Deo* l. 9, c. 11), Bellarmin. *(De amissione gratiae,* VI, 1) etc.

Solutio nostra logice sequi videtur ex doctrina Pelagianorum de unico fine hominis et de non transmisso peccato originali.

27. — 3) De statu justitiae originalis.

a) Ex dictis sequitur *statum in quo homines nascuntur non differre a statu*

justitiae originalis. — Cf. S. August. *De peccato originali* n. 14, M. 44, 391. *De gestis Pelagii* n. 23, *ibid.* col. 333, 334.

Concupiscentia, vitae miseriae, mors non sunt effectus peccati. Adamum fuisse creatum mortalem, probatur quia : α) matrimonium institutum ab initio ut numerus mortuorum expleretur ; β) redemptio nos non reddit immortales.

Habuit concupiscentiam, nam : α) de facto, peccavit ex pravo desiderio ; β) concupisc. data est ad generationem. Solus excessus est vituperandus ; Cf. S. August. *Cont. Jul.* III, 27 ; IV, 7 ; M. 44, 716, 739.

Finis ultimus unicus, viribus naturalibus adipiscendus, est visio intuitiva.. Cf. Héfélé, p. 171 ; Wirceb. VII, n. 169 ; Inst. I (p. 156).

28. — b) Gratiam non rejiciebant Pelagiani ; sed gratiam vocant :

α) Ipsam naturam humanam, maxime liberum arbitrium. Cf. *De gestis Pelagii*, n. 30, M. 44, 337. — Cf. *Epist. ad Innoc.* M. 33, 760, 763, Cf. Petavium, c. II.

β) Omnia bona externa quae hominem juvant in prosecutione finis : creaturae, Lex, miracula, praesertim vita et exempla Christi *(gratia magna)* Cf. *Opus imperf.* II, 146 M. 45, 1202 ; *Cont. Jul.* V, 58 M. 44, 815 ; *Op. imperf.* I, 94 M. 45, 1111.

γ) Remissionem peccatorum quatenus nobis datur ex meritis Christi.

δ) Regenerationem per baptismum.

ε) Ipsam vitam aeternam. Cf. Petav. c. 5, n. 2.

Dub. Utrum admiserint internam mentis illustrationem ? Cf. Wirceb. n. 182, 183. Certo non ad posse, sed tantum ad *facilius posse.*

Dub. Utrum admiserint gratiam habitualem ? Cf. Héfélé, p. 173 ; Wirceb. n. 186, 187.

Certo nunquam admiserunt gratiam internam actualem voluntatis. Cf. Wirceb. n. 184, 185 ; Petav. c. 8. — S. August. *De gratia Christi*, n. 3, 6 M. 44, 361, 363. *Opus imperf.* III, 106 M. 45, 1291.

II. De Semipelagianismo

29. — A. Bibliographia.

Portalié *St. August.* 2283 ; *Augustinisme* 2519-27 ; Harnack, *Dogmengesch*[3]. III, p. 225 ss. ; Loofs, *Leitfaden* p. 435 ss. ; Hergenröther I. p, 551 ss. ; Petav. *De Pel. et Semipel. haeresi* c. VII sq. ; Wirceb. VII, n. 188-197 ; Suarez, *De gratia* II, c. 3 sq. ; Livinus De Meyere, l. c. art. 8 ; Malnory, *St. Césaire, évêque d'Arles*, p. 143 ss. ; Capéran, *Le problème du salut des infidèles*, p. 133-150.

B. Historia. I. Origo. Haeresis Massiliensium (nomen Semipel. recentius, probabiliter a Thomistis contra Molinistis, invectum est. Cf. Jacquin *Rev. des Sc. phil. et théol.* juil. 1907, p. 506 ss.) orta est occasione doctrinae S. Augustini, praesertim ut est proposita in « *De Corrept. et Gratia* » et « *De Gratia et libero arbitrio* » Cf. Malnory, p. 144 ; Petav. n. 1 ; Héfélé, p. 1091.

Ejus auctores volunt conciliare universalitatem voluntatis salvificae seriae cum libertate arbitrii, contra Praedestinatianos.

30. — II. Praecipui propugnatores.

Monachi Hadrumetani (??), circa ann. 426, 427. (Cf. S. August. *Epist. 114 et 115*. M. 33, 968 ss.)

Vitalis Carthaginensis. Cf. S. August. *Epist. 217*. M. 33, 987 s.

Cassianus (360 ?-435 ?), Semipelagianismi quasi pater.

(Cf. Godet *Cassien* DTC ; Hergenröther, *Kirchengesch.* I, p. 552 s. ; Hoch : *Lehre des Joh. Cassianus von Natur und Gnade*, Herder 1895).

Discipulus S. Joan. Chrysost. ; monachus Massiliensis.Ejus scripta Cf.M. 49 et 50. Opus praecipuum : *Collationes XXIV*. Doctrinam semipelagianam invenies praesertim in Collat. III et XIII. Contra Cassianum Prosper scripsit : *De gratia et libero arbitrio contra collatorem* (M. 51,213 s.).

Faustus Regensis (405 ?-490 ?) monachus Lyrinensis, episcopus Regensis. Ejus doctrina a Conc. Arausic. II damnata.

Gennadius († circa 492), presbyter Massiliensis. Ejus opera apud M. 58.

S. Vincentius Lirinensis († 450 ?). Illum esse Semipelagianum,

negant : Papebroch, *Acta SS.* 24 mai. V, 284 sq. ; *Histoire litt. de la France*, II, p. 309 ; Baronius, Labbe, Brunetière *(St. Vincent de Lérins*, p. XIII), etc.

affirmant : Hergenröther p. 556 ; Harnack p. 225 sq. ; Turmel *(Rev. d'hist. et de litt. rel.* 1904, p. 503) ; Hugo Koch : *Vincenz von Lerin und Gennadius* (Hinrichs 1907). — Cf. Portalié 2520.

Probabiliter contra ipsum Prosper scripsit : *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum*. M. 51, 177 s.

31. — III. Damnatio.

1) **Praecipui adversarii** : S. August., S. Prosperus Aquitan., S. Fulgentius Ruspensis, S. Caesarius Arelatensis.

2) **Concilium Arausicanum II** (529) Cf. B. 174 (144) s.

a) Canonum origo, incertus.

Cf. Lejay : *Césaire d'Arles*, DTC 2178 s.
Le rôle théologique de Césaire d'Arles. (Rev. d'hist. et de litt. rel. 1905 (t. X), p. 250 ss.).
Dom Morin : *Un travail inédit de St Césaire...* Rev. Bénéd. 1904 (t, 21) p. 225 sq.
Portalié 2526.
Héfélé p. 1086 sq. 1386 s. ; Malnory p. 152 ss.

Concordantiam canonum concilii cum scriptis S. Augustini invenies apud Mansi 8, 721, Héfélé p. 1093 ss., M. 45, 1785-1788.

b) Canonum valor dogmaticus. « *Supra scriptam confessionem* » Concilii Arausicani Bonifacius II (531 ?) approbavit. (Contra Suarez, *De gratia proleg.* VI c. 5). Quaenam sit haec confessio ? Gutberlet, Scheeben, Palmieri etc. putant Bonifacium approbasse tantum 8 priores canones. Héfélé, Ernst, etc. contendunt Pontificem approbasse canones omnes.

Quidquid sit de hac quaestione, forsan insolubili, canones omnes valorem dogmaticum habent certo ex usu ecclesiastico.

De sensu canonis 22i, Cf. Portalié 2526; Le Bachelet *Baius* 83 sq.; Wirceb. n. 260; Hurter III n. 62; Héfélé p. 1100 ss. etc. Cf. infra n. 124.

Concil. Valentinum (529 ? 530 ?) Utrum ante conc. Arausic. II, vel post et contra Arausic., non constat.

Cf. Mansi VIII 723-726; Héfélé p. 1108 ss., 1385 sq.: Malnory p. 154; Hist. littér. t. III p. 196.

C. Doctrina. Cf. Petav. l. c.; Wirceb. n. 193 s.; de Meyere l. c.

32. — 1) **Initium aliquod fidei, justitiae et salutis est a nobis, per solas naturae vires conantibus, sine ullo interioris gratiae praevenientis auxilio.**

Cf. S. Aug. *De praed. S.* n. 6. 7. M. 44, 963 s.

Epist. *Hilarii ad August.* n. 2. M. 33, 1008.

Prosperi ad August. n. 3. 4. M. 33, 1004.

Quid sit hoc initium fidei, certo dici nequit.

Juxta Portalié *(De Gratia)* est ipsa fides, quae est initium salutis.

Juxta Wirceb. n. 191 et Hergenröther, *Kirchengesch.* I p. 552, est

acceptatio fidei corde ac mente,
desiderium salutis inde ortum,
oratio et imploratio auxilii divini.

Gratuito quidam asserunt hoc initium fidei esse actum quo, perpensis motivis, aliquis judicat esse credendum. Tam accuratam fidei analysim apud Semipelagianos non invenies.

Certum est Massilienses docuisse primum conatum in via salutis esse a natura, non a gratia. Vide comparationem de aegroto medicum advocante. — Attamen non negabant etiam initium fidei esse quandoque a gratia, *sed negabant id fieri necessario.*

N. B. Controversia non versatur circa necessitatem cogitationis congruae. Contra Vasquez. I. D. 91.

33. — 2) **Quem primum naturae conatum Deus exspectat ut gratiam suam largiatur, illamque largitur juxta meritum naturale hujus primi conatus.**

Deus ergo, quantum est ex se, *aeque efficaciter* vult salutem omnium hominum; indifferenter omnibus eamdem gratiam dare paratus est. Gratiarum diversitas, seu inaequalis applicatio meritorum Christi, provenit non ex Deo homines discernente, *sed unice ex inaequali conatu naturali.*

Imo merito hujus conatus naturalis, quicumque voluerit, *gratiam obtinebit perseverandi :* libero hominum arbitrio relinquitur gratiis divinis ita uti, ut de facto perseverent.

Cf. Petav. l. c. n. 4.

3) Cur evangelium praedicatur his potius quam aliis hominibus ? Quia Deus praevidit horum consensum naturalem futurum.

Cur parvuli decedant sine baptismo ? Quia Deus praevidit eos conatum naturalem nunquam praestituros.

Hinc, non datur nec gratuita praedestinatio ad gratiam, nec gratuita perseverantia in bono ; sed, tum justificatio, tum electio ad gloriam, reducuntur ad meritum operum quae initium sumunt a praeviis conatibus liberi arbitrii per solius naturae vigorem exerciti, sive ad credendum, sive ad perseverandum.

34. — Facillime igitur Semipelagiani a Pelagianis secernuntur : secundum hos, integra series actuum salutarium est a sola natura ; secundum illos, datur duplex series : prior, initium fidei, est a sola natura ; altera, augmentum fidei et justitiae, debetur gratiae : sed series altera meritorie pendet a prima.

35. — Facile etiam, quicumque « studio partium non in traversum acti » sunt, theologos Societatis a Semipelagianis secernent.

Ad rem Natalis Alexander O. P. *Hist. eccl. ad saec. V.* c. 39 a. 8 : « Cavendum, ne recentioribus quibusdam theologis, qui praedestinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum (nempe supernaturalium) a Deo fieri contendunt, et scientiam quamdam mediam propugnant, semipelagiani erroris nota inuratur, quod imprudenter et temere novi quidam auctores fecerunt vel Semipelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti. Magnum enim est quantum ad hoc utrumque dogma inter Semipelagianos et theologos illos discrimen. Nullam enimvero praedestinationem gratuitam Semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam... Theologi vero laudati praedestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur : solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt... quod spectat scientiam illam quae media nuncupatur, non in hoc fuerunt haeretici Semipelagiani, quod eam admiserint ac propugnaverint ; sed quod ex praescientia meritorum vel peccatorum, quae nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent : idque etiam locum habere in parvulis... » (Cf. de Meyere l. c. p. 754 ; Wirceb. n. 193, 5).

Itaque contra Semipelagianos theologi Societatis tenent :
Gratuitam praedestinationem ad gratiam. Cf. thes 18.
Praedestinationem ad gloriam pendere a merito operum *supernaturali.*
Perseverantiam esse donum prorsus gratuitum. Cf. thes. 8.
Deum hominum sortes non definire ex scientia futuribilium.

36. — *N. B.* Falsum est quod Jansenius pro confirmatione sui erroris contendit, Semipelagianos admisisse gratiae interioris necessitatem et eo fuisse haereticos quod vellent hanc gratiam esse talem cui posset humana voluntas resistere et obtemperare. » B. 1095 (969).

Cf. Jansenius *De Haeres. pel.* l. 7 c. 2 ; l. 8 c. 5. *De gratia Christi* l. 2 c. 13. Vide Arausic. II can. 5 et 7. B. 178 (148) sq. ; S. Aug. *De Praedest. Sanctorum* c. 6. n. 10 M. 45, 999. Prosper. *Contra collat.* c. 3 n. 10 M. 45, 1806.

III. Doctrina Lutheranorum.

Cf. Portalié, *Augustinisme* DTC. 2542-2545 ; Bainvel, *Nat. et surnat.*[1] p. 222-230 ; Denifle-Paquier : *Luther et le Luthéranisme* ; Grisar : *Luther ;* Moehler : *Symbolik ;* J. T. Müller : *Symbolische Bücher ;* Karl Müller : *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche ;* Paquier, *Le Jansénisme,* 3e leçon ; Jungmann : *De gratia,* n. 19-24 ; Van der Meersch, n. 17, 18.

N. B. Non omnium Reformatorum eadem est doctrina, imo ipse Lutherus sententiam suam multoties mutavit. Exponemus doctrinam quae a Reformatoribus communius recepta esse videtur.

37. — I. **Principium fundamentale** : Concupiscentia, invincibilis, est peccatum originale habitans in nobis. (Respectus positivus peccati originalis).

Inde : 1) Concupiscentia culpabilis est, siquidem est peccatum.
2) Peccatum est quid positivum.
3) Ad peccatum libertas non requiritur.
4) Peccatum originale manet usque ad mortem.

II. **Per peccatum originale natura humana, imago Dei, funditus vitiata est.** (Respectus negativus pec. originalis). Oppositio fundamentalis cum Pelagianismo. — Cf. Baianismum.

Inde : 1) Jam nullum liberum arbitrium.
2) Homo necessario peccat.
3) Omnia opera peccatorum sunt peccata.
4) Omnia peccata essentialiter aequalia. (Nullum peccatum veniale nisi ex non-imputatione Dei).
5) Nullum opus bonum requiritur ad salutem.
6) Nullum meritum.
7) Deus est auctor peccati.
8) Status naturae purae impossibilis.
9) Nulla justificatio interna. (Vide tractatum de Justificatione).

38. — III. **Legem quam nos implere non possumus, Christus pro nobis implevit** : Ipse, justitia sua, nos facit justos.

Inde : 1) *Justitia extrinseca,* aequalis in omnibus, incapax augmenti.
2) *Peccata nostra tecta,* non remissa quoad culpam sed tantum quoad poenam.

IV. **Justitiam Christi nostram per fidem fiducialem.**

Inde : 1) Per solam incredulitatem justitia amittitur.
2) Sacramenta prosunt tantum quantum fidem firmant.
3) Omnis fidelis certus est de salute sua, etsi peccata maxima committit. — Praedestinatio.

V. Fides radix est non tantum justificationis, sed et sanctitatis, quatenus dat capacitatem faciendi opera non justificantia, sed moraliter bona.

Inde : 1) Ordo moralis a religione plane distinctus : aliud est sanctitas, aliud justificatio.
2) Admittiturne aliqua transformatio interna ? Utique, et contradictio.

IV. De Baianismo et Jansenismo.

39. — **A) Bibliographia.**

Le Bachelet *Baius* DTC, Portalié *Augustinisme* ibid. col. 2545-49. Wirceb. VII, n. 202-249 ; Casinius S. J. *Qu'est-ce que l'homme ?* éd. Scheeben-Cros ; Hergenröther,

Kirchengesch. 3¹ p. 381 ss. ; 3² p. 466 ss. ; Harnack, *Dogmengesch.*³ III, p. 658 ss. — *Dictionn. des livres Jansénistes ou qui favorisent le Jansénisme* (par de Colonia S. J. et Patouillet S. J.) Anvers 1755 ; Capéran : *Le problème du salut des infidèles* ch. 8 p. 299 ss. ; Hild, *Honoré Tournely und seine Stellung zum Jansenismus*. Herder 1911 (cf. Bainvel. Études 1912 t. 131, p. 789 ss. ; t. 132, p. 65 ss.) ; Montagne, *Tract. de Gratia*, dissert. 9 ; Paquier, *Le Jansénisme*· Bloud. 1909 ; Jungmann, *De gratia* n. 161-162. Martin, *La Liberté* (Ann. de phil. chrét. Mars 1911, p. 582 ssq). Arnauld, *Lettre 814, à du Vaucel* (3 août 1691) ; Du pouvoir physique, art. 4.

40. — B. Historia.

A) **Origo.** Baianismus et Jansenismus, instaurare cupientes genuinam S. Augustini doctrinam de gratia, et refellere Novatorum errores de justificatione, de facto quaod substantiam eosdem errores renovant.

B) **Praecipui fautores.**

Baius (1513-1589) natus in pago Meslin l'Evesque (Ath) ; anno 1541 rector collegii Standonck ; 1544 consiliarius universitatis Lovaniensis et lector philosophiae ; 1550 doctoratus lauream adeptus, praeses collegii Adriani. — 1552 (?) Missus ad concil. Trident. ; lector Script. Sacrae ; 1563 iterum adest Conc. Trident. — 1564 ejus opuscula finita sunt ; 1570 decanus facultatis ; 1575 cancellarius universitatis ; 1578 conservator universitatis. — 28 jun. 1560 Facultas Parisiensis damnat 18 prop. Baii (Cf.Duplessis t. II, I, p. 203 sq.)

1 oct. 1567 Pius V « Ex omnibus afflict. » damnat 76 prop.;B. 1001 (831) ss. — De « Commate Piano » Cf. Le Bachelet. l. c. col. 48, 57, 58. Wirceb. 299 ss.

8 jan. 1569 Baius mittit Apologiam ad Summum Pontificem.

13 mai. 1569 Breve Pii V^i ad Baium, Cf. Le Bachelet 50, 51.

1571 Baius plenam subscribit acceptationem Bullae Pii V^i.

29 jan. 1579 Greg. XIII. « Provisionis nostrae ».

1586, jussu Gregorii XIII, doctores Lovanienses conscribunt corpus doctrinae Baio oppositae.

1587 Lessius, ex instigatione Baii, a facultate Lovaniensi censuratus, Cf. Duplessis III, II, p. 120 ss. ; 125 ss.

16 sept. 1587 Baius pie et submissus moritur.

41. — Jansenius (1585-1638) natione Batavus, natus loco exiguo Accoy in territorio Leodamensi. Lovanii Philosophiae ac Theologiae operam dedit, magistro usus Jacobo Jansonio discipulo Baii. An. 1604 Parisios abiens exceptus est a Joanne du Verger de Hauranne. Lovanium an. 1617 reversus, doctorali laurea donatur et Collegio S. Pulcheriae praeficitur. An. 1636 episcopus Yprensis promotus ; die 6 maii an. 1638, lue, quae Ypras invaserat, exstinguitur.

Opus ejus praecipuum : « *Cornelii Jansenii, episcopi Yprensis, Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos et Massilienses* » 3 in-fol. prodiit an. 1640.

1 aug. 1641 damnatus ab Inquisitione.

4 mai. 1642 (1641),Urban. VIII « *In eminenti* ».

31 mai. 1653, Innoc. X « *Cum occasione* » damnat 5 proposit. B. 1092 (566) ss.

14 Oct. 1656, Alexander VII « *Ad Sanctam B. Petri Sedem.* », Cf. B. 1098 (971).

15 febr. 1664, Alex. VII « *Regiminis catholici.* », Cf. B. 1099 (971).

16 jul. 1705, Clemens XI « *Vineam Domini.* » Cf. B. 1350 (1317).

42. — **Quesnel, Paschasius**, (1634-1719),natus Parisiis ; an. 1657 Societatem « Oratorii » ingressus ; 1659 sacerdos ; 1684 pertinax ex Oratorio egressus,degit Bruxellis usque ad ann. 1703 ; postea, 1703-1705, Amstelodami. — Ejus opera :

Editio *operum Leonis Magni* an. 1675 ; — prohibita 16 jul. 1676.

Abrégé de la morale de l'Évangile. 1ª éd. 1671.

Réflexions morales. 4. vol.

1708 prohib. a Clemente XI.

1711 prohib. a Parlam. Parisiensi.

8 sept. 1703 damnat. a Clemente XI « *Unigenitus.* » Cf. B. 1351 (1216) ss.

43. — **Synodus Pistoriensis** 1786. Praeside episcopo Jansenistico Scipione Ricci (1741-1810). Damnata a Pio. VI°, 28 Aug. 1794, « *Auctorem fidei* » cui Ricci 9 mai. 1804 se subjicit.

44. — **C) De valore dogmatico Constitutionum** doctrinam Baiano-Jansenisticam damnantium.

Cf. Montagne, *De gratia*, Migne, Cursus X,306 ss.

Viva, *Damnatae theses.*

Attendimus tantum ad Constitutiones sequentes :

I. **Pius V** « *Ex omnibus afflictionibus* » ;

Gregor. XIII « *Provisionis nostrae* » ;

Urbanus VIII « *In eminenti.* »

Quae constitutiones 1) habent valorem infallibilem ex acceptatione Ecclesiae et magisterio ordinario. 2) etiam inspecto solo tenore Bullarum ; etenim :

a) non sunt documenta mere disciplinaria, *sed doctrinalia.* Pius V bene distinguit partem discipl. et dogmaticam. Cf. B. 1080 (959).

b) et quidem Pontificum loquentium ex cathedra. Etenim Urban. VIII confirmat et approbat Constit. Gregorii XIII et Pii V « *De apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura constitutione.* » Cf. Duplessis III. II, p. 245.

II. **Clemens XI** « *Unigenitus* » judicium doctrinale ex cathedra. Cf Duplessis III, II, p. 475 ; Wirceb. VII n. 241 50 ; Franzelin. *De Tradit.* ed. 1870, p. 112, ed. 1882, p. 123.

III. **Pius VI** « *Auctorem Fidei* » jud. doctrin. ex cathedra, Cf. Bullar. Rom. continuat. t. IX, p. 398 § 10, 11. Franzelin l. c.

I. Doctrina Baii.

45.— Principium fundamentale : Finis hominis ultimus, *virtute naturali attingendus,* est visio Dei intuitiva. — Cf. Le Bachelet, col. 46.

Consectaria :

a) **De statu naturae innocentis.** — Dona justitiae originalis naturalia erant, quia debita, non ut partes constituentes physicae (**contra Luther.**) sed quia exiguntur ut natura humana sit integra in ordine morali.

Doctrina erronea. Cf. Baius, prop. 21, 26. — 23. 24. 22. 78. 72. B. 1021 (901) etc.
Quesnel. prop. 35. B. 1385 (1250)
Concil. Pistor. prop. 16. B. 1516 (1379)

Hinc : 1) Deus non potuisset creare hominem sine justitia originali. Cf. Baius, prop. 55. 79.

2) Merita non ex gratia, sed naturalia (quia sunt divinae legis obedientia). Baius, prop. 1-9 ; 11-15 ; 17-19 ; 61-62. Le Bachelet 74-77. Quesnel., prop. 34.

46. — b) **De statu naturae lapsae.** — Per peccatum originale homo amisit justitiam originalem sibi debitam.

Hinc : 1) homo lapsus = naturaliter mancus et miser.

2) deficiente justitia originali (tendentia ad finem naturalem, scil. visionem), homo jam nequit tendere in Deum ; necessario amat creaturam, seu : habet malam concupiscentiam, *necessario peccat.* (**cf. Luther**).

Doctr. haeretica (quoad doctrinam, non quoad verba). Cf. Trident. B. 815 (697), 816.

Baius, prop. 54, 67. (Cf. Le Bachelet 96, 97).

Jansen. prop. 1. B. 1092 (966).

Mala concupiscentia = peccatum originale (**cf. Luther**).
et est semper peccatum, etiam in infantibus, et quando non est voluntaria.

Doctr. erronea. Cf. Trident. B. 792 (674).
Baius, prop. 50, 51, 55, 74, 75, 76. Le Bachelet 98, 99.

Licet voluntas peccet necessario, tamen libere : etenim non requiritur libertas a necessitate, sufficit libertas a coactione. (Contra principium fundamentale Pelag).

Doctr. haeretica. — Cf. Jansen. prop. 3
Baius, prop. 39. 66. 27. 28. Le Bachelet 81-83.
Cf. prop. 8 damnatam a fac. Parisiensi. Duplessis II, I, 204.

Caeterum, voluntarium non pertinet ad rationem peccati. — Baius, prop. 46-49. Le Bachelet 93, 94.

Sequitur, omnia opera infidelium et peccatorum esse peccata. (**Cf. Luther**).

Doctr. haeretica quoad peccatores ; **erronea** quoad infideles.
Cf. Trident B. 817 (699)

Baius, prop. 25, 68 ; 35, 40 ; 29, 30, 37, 65.
Quesnel. prop. 38, 45.
Concil. Pistor. prop. 23.

Fides ergo et caritas requiruntur ut homo lapsus agere possit honeste : caritatem exigit perfectam, sed non habitualem. Cf. Wirceb. VIII n. 252. Le Bachelet 45.

47. — c) **De statu naturae redemptae.**

1) Dona nobis *restituta* per Christum, vocari debent
gratia, quia indebita naturae *lapsae*,
supernaturalia, quia supra naturam *lapsam*.

Terminus igitur prae quo doni supernaturalis est, juxta Baium, non natura humana philosophice spectata (conceptus catholicus), sed natura lapsa.

Doctr. erronea. Cf. prop. 8, 9.

2) Etiam nunc, non gratia, sed conformitas actionis cum lege est principium meriti.

3) Homo potest agere honeste in quantum a Deo adjuvatur supernaturaliter. Cf. Quesnel. *de omnipotentia Dei victrice*, prop. 1 sq., B. 1351 (1216) sq.

4) Sicut in statibus justitiae originalis et naturae lapsae, ita etiam nunc non datur duplex amor bonus, naturalis scil. et supernaturalis. Sed omnis amor est vel peccaminosa cupiditas, vel caritas actualis et stricte theologica (sufficit tamen imperfecta). Cf. Jansen. *de delect. victr.*

Doctr. erronea, Cf. Baius, prop. 16, 34, 36, 38.
Alex. VII, prop. 7, 11, B. 1297 (1164), 1301 (1168),
Quesnel. prop. 44, 47, B. 1394 (1259) sq.
Pistor. prop. 24, B. 1524 (1387).

Nullum peccatum est ex natura sua veniale. Prop. 20. (Cf. Le Bachelet 93)

Utrum Baius admiserit gratiam habitualem ? Cf. prop. 42. 69. Le Bachelet 47, 100, 101.

5) Licet adhuc nunc, in justificatis per Christum, dentur motus pravae concupiscentiae, hi motus non sunt peccaminosi quamdiu caritas dominatur concupiscentiae. Baius prop. 74, 75. (Le Bachelet 95, 100).

6) Caeterum caritas (vel justificatio, Cf. Baius prop. 43), etiam perfecta, consistere potest cum peccato mortali, quod ordinarie non remittitur nisi per sacramentum vel baptismi vel poenitentiae.

Doctr. erronea. Trident. B. 898 (778).
Baius, prop. 31-33 ; 43 ; 70, 71. (Le Bachelet 101-103).

II. Doctrina Jansenii.

48. — Voluntas lapsa intrinsece vitiata.

1. Voluntas humana ita informata est per P. O., ut jam non gaudeat libero arbitrio, i. e. vi sese flectendi pro suo nutu ad opposita, sed (Cf. n° 44,) « *in libidinum imperium praecipitata est, ex quibus fit ut in omnibus actionibus*,

ante gratiam, delectatione quadam libidinosa praeeunte ac titillante, provocetur, cui consentiendo peccat. » *(De Gratia Chr.,* l. 4, cap. 9, p. 183, col. 1 B-C). Ita jam Baius, Cf. n. 46.

49. — Gratia est delectatio coelestis.

2. Gratia qua liberum arbitrium sanatur *consistit in delectatione coelesti,* ad bonum impellente, quae opponatur delectationi terrenae cupiditatis ingenitae qua ad malum trahimur. *a)* Delectatio omnis est vitalis animi motus indeliberatus, quo voluntas movetur in aliquod objectum tanquam sibi conveniens, quandoque etiam deliberatus e priore consequens. — Speciatim delectatio illa coelestis « *non est aliud quam actus quidam indeliberatus coelitus immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum vel suaviter tantam placet (qui actus subinde simplex voluntas dicitur, etiam complacentia aut amor voluntatis), vel etiam in bonum appetendum commovetur.* » (Ibid. cap. 11, col. 185^1 D). Est etiam, et crebro, aliquis actus secundus qui desiderium deliberatum dicitur. (Ibid. 185^2 A).

Haec delectatio coelestis caritas est, i. e. dilectio Dei propter se, non tamen necessario perfecta : sufficit imperfecta (Cf. *de Gratia Chr.* l. 5, c. 7, col. 218^2 A ; 219 A-B ; 220^1 A). Quae si deest,homo in opere suo, etsi quoad officium bono, peccat necessario et tamen imputabiliter. (Cf. thes. 21).

b) Hujus delectationis necessitas proficiscitur non praecise ex natura voluntatis, sed ex ejus infirmitate per peccatum inducta (ibid. cap. 9, col. 182-83). Revera peccatum protoparentis sine delectatione praecedente perpetratum est ; et gratia ipsi collata non erat delectatio victrix, sed talis erat « *ut cum ipsa voluntas ageret aut non ageret, prout ipsi videretur.* » Ib. 183^2 A. — In praesenti vero actu *delectatio est unicum pondus quo voluntas sive ad bonum sive ad malum flectitur.* Ita saepe ; Cf. ib. cap. 7, coll. 177^2 C ; 178^2 C.

50. — Liberum arbitrium in statu naturae lapsae.

3. Itaque in statu praesenti duae hae delectationes sunt pro libero arbitrio. Agunt in invicem per gradus relativae intensitatis, *sic ut superior semper vincat inferiorem quasi ex lege mechanica* ; voluntas, passive flexibilis, semper et necessario sequitur impulsum delectationis relative majoris, sive pravae concupiscentiae,sive caritatis,et pro gradibus quibus alteri praeponderat ; atque hoc sensu dicitur relative victrix ea quae intensior est. Ita Jans. *de Gr. Chr.* l. 8, cap. 2, col. 344^2 C : « *tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis haerebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est.* » Ubi vero delectationes oppositae sunt aequales, neutra alteram superabit, et « *alternante delectationum fluctu in medio remanebitur.* » (Ibid. l. 4, cap. 10, col. 184^2 D).

51. — Quae doctrina perspicua fit *ex comparatione librae.* Voluntas lapsa, inter pravam concupiscentiam et caritatem posita, et viribus

reagendi privata, passive se habet. Quasi libra cujus lances alternis ponderibus in unam aut alteram partem inflectuntur : pondus majus vincit pondus minus.

Hinc, si pondus gratiae (delectatio coelestis) majus est, voluntas necessario et irresistibiliter inclinatur in actum virtutis (caritatis) : gratia est efficax. Cf. prop. 2 et 4 ; B. 1093 (967) sq. (Cf. *De gratia Christi*, l. 2, c. 24 et 4), *de haeresi Pelag.* l. 8, c. 6.

Si, e contra, majus est pondus concupiscentiae (delectatio terrena), voluntas necessario et irresistibiliter inclinatur in peccatum.

Attamen, etiam quando victrix est concupiscentia, non deficit gratia sufficiens, i. e. gratia quae libram valuisset inclinare in partem virtutis, si in lance altera non adfuisset pondus majus concupiscentiae (*gratia sufficiens = gratia parva*).

Arnaldus (De grat. effic. p. 3, a 12) adhibet comparationem ignis cui semper inest vera potestas urendi. Cf. Mazzella n. 508.

Gratia sufficiens igitur dat posse absolutum, non vero relativum ; i. e. inflectere posset lancem alteram, sed vacuam : lanx vero altera, de facto, nunquam vacua est. Inde propos. 1. (Cf. *De gratia Christi*, l. 3, c. 13; Jungmann, n. 161).

Quum multis de facto non detur delectatio coelestis major delectatione terrena, sequitur Christum non pro omnibus mortuum esse. Prop. 5. (Cf. *De gratia Christi*, l. 3, c. 21). Voluntas nihilominus libera est, non a necessitate sed a coactione. Prop. 3ª . (Cf. *De gratia Christi*, l.6,c. 6 et 24).

52. — Quid sit gratia efficax.

4. *Hinc delectatio relative victrix* (= *gratia efficax*) determinat et, ut monet l. 8, cap. 3, 351¹ B, physice praedeterminat voluntatem ad unum, sic « *ut actus oppositus sit extra ejus potestatem* » (l. 7, cap. 5, col. 315¹ A), ut ex defectu operis concludendum sit gratiam non esse datam (l. 2, cap. 25, 83¹ A), ut faciat voluntatem uni parti adstrictissimam (l. 8, cap. 6, 356¹ D) etc. — Haec tamen necessitas dicitur non esse absoluta, sed relativa, i. e. in aliis circumstantiis — si victrix nunc delectatio imminueretur aut opposita augeretur — posset agere aliter, et hoc est, ut ait Tournely, « totius systematis arcanum ac quasi nucleus ». Hac enim distinctione subdole eludebant Ecclesiae definitiones et censuras, atque errorem suum, terminologia catholica usi, insinuabant.

5. Revera, objicienti quod voluntas, distituta delectatione coelesti intensiore, nequeat implere praeccpta et necessitetur ad peccandum, respondent : nequit... impotentia relativa C., absoluta, eaque sufficientissima etc. N. — Actus vero salutaris dicitur fieri liberrime, eo quod gratia facit voluntatem *velle* ; sola autem coactio perimit libertatem. Quare eo liberior est volitio quo intensior est delectatio praedeterminans ; nam eo ardentius voluntas erumpit in actum (l. 8, cap. 5).

Igitur infallibilis connexio gratiae efficacis cum consensu salutari oritur *objective* ex modo gratiae intrinseco et ex adjunctis in quibus confertur, seu ex intensitate relative majori delectationis divinitus voluntati immissae ; — *cognoscitur* per scientiam simplicis intelligentiae, essentiam

delectationis coelestis et concupiscentiae oppositae intuentis ; — determinatur *affective* per decretum absolutum quo Deus vult, ratione prius, actum salutarem, et deinde decernit delectationem victricem suo tempore conferendam.

53. — N. B. In fundo, et quoad substantiam, eadem est doctrina et Baii et Jansenii et Quesnelli. — Discriminantur inter se quatenus :

Baius magis urget « naturalitatem » justitiae originalis,

Jansenius delectationem victricem,

Quesnellus omnipotentiam divinam. — Ad opus moraliter bonum hic exigit caritatem actualem et habitualem.

ART. IV. PRAESUPPONENDA EX TRACTATU DE ENTE SUPERNATURALI.

54. — **Contra Baium** defenditur **definitio catholica** entis supernaturalis : supernaturale est illud omne et solum quod omnes naturae creatae vires et exigentias transcendit.

Hinc, ut **erronea** saltem rejicienda est doctrina **Immanentistarum** adstruens « in natura humana non capacitatem solum et convenientiam » ad ordinem supernaturalem, « sed germanam verique nominis exigentiam. » (Encycl. Pascendi.)

Cum sententia **communiori** tenemus quoque, **contra Ripaldam**, ens supernaturale esse supra omnem naturam etiam *creabilem*, proindeque repugnare in terminis substantiam quam vocant supernaturalem ; propterea praesertim quia visio intuitiva, quae ordinis supernaturalis finis est, superat omnem naturam contingentem.

Praeter **ens stricte supernaturale**, quod nulli prorsus enti contingenti debetur, neque de potentia Dei ordinata (**certum, contra Augustinienses**), cuique soli convenit definitio tradita, habentur etiam dona praeternaturalia, et supernaturalia quoad modum.

Donum praeternaturale est indebitum tali creaturae, non vero omni, v. g. immortalitas indebita est homini, non autem Angelo.

Donum supernaturale quoad modum in se naturale est et debitum, sed modus quo confertur excedit vires et exigentias naturae, v. g. sanitas miraculose restituta. Cf. n. 148.

ART. V. GRATIAE NOTIO ET PARTITIONES.

S. Thomas I,II q. 110. — Suarez : *De Gratia, Proleg.* III. — Ripalda. *D.* 101. — Vasquez *D.* 185. — Bellarmin : *De Gratia et libero arbitrio* l. 1, c. 1, 2. (cf. de la Servière : *La théologie de Bellarmin*, p. 567 sq.). — Tanner : *De Gratia*, q. 1. — Montagne : *De Gratia, quaestio prooemialis* (Migne, Cursus, t. X, col. 11 sq.). — Tournely : *De Gratia*, q. 1. — Habert : *Theologiae Graecor. Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae... libri tres*, l. 1. c. 4. 5. — Palmieri : *De Gratia divina actuali : Prolegomenon*, thes. 1 sq. — Wirceburgenses, t. 7, n. 147-153. — Van Noort : *De Gratia Christi*, n. 1-7. — Billuart : *Diss.* 3, a. 1.

Thes. I. — Gratiae vocabulum, quum multipliciter accipiatur secundum usum communem, magis proprie tamen dicitur de bono aliquo alteri collato, et significat beneficium ex benevolentia collatum citra exigentiam ejus cui confertur, seu, ut definire solent scholastici : est donum gratis datum.

55. — I. Multipliciter accipitur.

1) *active,* pro benevolentia qua quis alterum gratum habet. *Noe,* Genes. VI, 8 ; *Joseph,* Genes. XXXIX, 4 ; Ruth II, 20 ; *B. Virgo,* Luc. I, 30.

2) *passive,* pro aliquo dono gratis dato.

Ps. LXXXIII, 12 « *Gratiam et gloriam dabit Dominus* ».

Ephes. IV, 7 « *Unicuique nostrum data est gratia.* »

3) *effective,* pro recompensatione beneficii gratis dati.

2 Reg. II, 6 « *sed et ego reddam gratiam.* »

Ephes. I, 16 « *Non cesso gratias agens pro vobis.* »

4) *causaliter,* pro ea qualitate qua persona quaepiam redditur apta ad alterius benevolentiam sibi conciliandam, ut est :

venustas oris :

Ps. XLIV, 3. « *Diffusa est gratia in labiis tuis.* »

Prov. XXXI, 30 « *Fallax gratia et vana est pulchritudo.* »

venustas sermonis :

Eccli. VI, 5. « *Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos : et lingua eucharis in bono homine abundat.* »

Luc. IV, 22. « *Et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius.* »

N. B. Homo amore suo meritum supponit in objecto quod amat ; Deus vero amando meritum illud operatur.

S. Thomas I. II q. 110, a. 1 ; III q. 86, a. 2.

56. — II. Magis proprie pro dono gratis dato.

Rom. IV, 4. « *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* »

Rom. II, 6. « *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* »

Ephes. II, 8 « *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est, non ex operibus ut nequis glorietur* ».

S. August. *De gestis Pelagii,* c. 14, n. 33. M. 44, 340 ;
De natura et gratia, n. 4. M. 44, 249 ;
In Joan. tract. 3, n. 9. M. 35, 1400.

Hinc, gratiae elementum materiale : aliquod bonum ;
formale : gratis datum.

Thes. II. — Licet usu loquendi biblico et ecclesiastico, potiori jure atque sensu strictiori ea dona vocentur gratia quae, naturae rationali gratis superaddita, ad vitam aeternam consequendam conducunt, tamen, eodem usu, et bona naturalia a dono creationis distincta et ad salutem aliquo modo utilia, dici possunt, et quandoque dicuntur, gratia.

57. — St. Q. 1) *Scopus theseos* : pressius definire quaenam dona gratis data in usu dogmatico gratia nuncupentur.

2) Dona naturalia distinguimus dona creationis, et dona a creatione separabilia. Cf. Suarez, l. c., c. 4, n. 2.

a) *Dona creationis* (v. g. existentia, concursus generalis), siquidem et ipsa collata sunt a Deo libere et sine ullo nostro merito, aliqua non improbanda ratione gratia vocantur ; non tamen in usu dogmatico, quia supposita creatione debentur : sunt indebita *negative* tantum (Cf. Pesch De gratia, n. 6).

b) *Dona naturalia a creatione distincta* (v. g. acies mentis, ortus ex tali regione, familia) sunt beneficia, naturalia etiam quoad modum, et tamen *positive* indebita. Etenim, etiam supposita creatione denegantur a Deo sine ulla injustitia ; titulo igitur speciali gratuita sunt, licet ex genere bonorum quae sunt debita naturae.

Vide S. August. *Epist. 177*, n. 7. M. 33, 767 ; *Sermo 26*, n. 7. M. 38, 173 ; *De gratia et lib. arb.* c. 13, n. 25. M. 44, 896 —Cf. Habert p. 19, III. Palmieri, p. 9, 10.

58. — 3) *Sententiae.* Relictis nunc Pelagianis qui dona naturalia tantum agnoscunt, breviter indicantur tres sententiae Catholicorum :

a) *severiores* : usu dogmatico sola dona supernaturalia gratia vocantur.

Ita : Wirceb. n. 148 ; Habert l. c. p. 23, n. 13 ; Billot, *De gratia Christi*, I, p. 14, 42 s.

b) *Vasquez* (I. II. D. 189 et 190) α) et dona naturalia a creatione separabilia recte vocantur gratia ; β) ante justificationem non dantur nisi gratiae naturales.

c) *sententia media, nostra* : sicut Vasquez α), addendo : has gratias naturales esse infimas et ante justificationem dari gratias etiam supernaturales.

Probatur thesis.

59. — *Pars I.* Dona supernaturalia strictiori sensu vocantur gratia.

1) *Theologi omnes.*

2) *Patres.*

S. August. *Epist. 177*, n. 7, 8. M. 33, 767.
Epist. 194 n. 8 M. 33, 877.
De Gratia et lib. arb. c. 13 n. 25 M. 44, 896.

3) *Ratio. theol.* Ibi gratia κατ' ἐξοχήν ubi summa ratio indebiti.

60. — *Pars II.* Etiam dona naturalia a creatione distincta.

Dona positive indebita et aliquo modo, licet remote, utilia ad salutem, **recte vocantur gratia.**

Atqui talia sunt multa dona naturalia. *Prob. min.*

1) *Ex ipsa natura rei.* Sanitas, immunitas a quibusdam malis, prosperitas rei familiaris : providentia naturalis qua praestantur auxilia quibus facultates recte evolvantur et congruae adducantur cogitationes.

«... *Le pauvre prince des Apostres... ne se fust onques relevé, si le coq, comme instrument de la divine Providence, n'eust frappé de son chant à ses oreilles...* » (St. François de Sales : *Amour de Dieu* l. II, ch. 9). — Occasiones bene agendi a Deo paratae.

Atqui evidens est haec omnia beneficia a creatione esse separabillia et utilia saltem remote ad salutem.

Cf. S. Thomas, *De Veritate* q. 24 a. 14 (Cf. Billuart, *De gratia*, Dissert. 3 a. 1 n. 8) ; Suarez, *De gratia* l. 1 c. 12 n. 4 et 16 ; Palmieri, *De Gratia* p. 47, II.

Imo addi potest gratia maxima perseverantiae finalis, quae, praecisive sumpta, est donum speciale, a dono justificationis distinctum et naturale (entitative et quoad modum). Etenim, praecisive sumpta consistit in hoc quod mors contingat in eo instanti quo homo est in gratia : quae conjunctio naturalis est et indebita.

Cf. Palmieri p. 318, 319 ; S. August. *De praedestinatione Sanctorum* c. 24 n. 29 M. 44, 981.

61. — 2) *Ex sensu Ecclesiae et praxi fidelium.*

Haec est vere et proprie gratia quam fideles in suis orationibus petunt ; atqui fideles multa petunt beneficia naturalia.

Ad maj. : nemo petit bona debita, v. g. concursum naturalem.

3) *Ex doctrina S^i Augustini.*

Cf. *De praedestinatione SS^orum* l. c. ; *Epist. 144, 2* M. 33, 591.

62. — 4) *Ex auctoritate theologorum.*

Albertus Magnus *II Sent.* D. 28 a. 1 ad ult. ;

S. Thomas *II Sent.* D. 28 a. 1 ;

II. II. q. 136 a. 3 ad 2 ;

Gerson : *Liber de vita spirituali animae*, lect. 1^a, 12um coroll.

Petrus de Soto : *De sacramento poenitentiae* l. 9.

Molina : *Concordia* q. 14 art. 13 D. 35 et 36.

Lessius : *De gratia efficaci* C. 10. Appendix n. 20, 31, 32, 43.

Vasquez *I. II.* D. 189 et 190.

Billuart, *De gratia*, dissert. 3 a. 3 § 3. Cf. Suarez, *De gratia.* proleg. III c. 2 n. 4 ; c. 4 n. 2.

Portalié, *S. August.* DTC. col. 2386 sq.

Lahousse : *De gratia* p. 6. — etc.

5) Cf. quae dicuntur thesi 3^a, p. 3^a de gratia externa.

Pleniorem probationem theseos habebis ex thes. 13^a.

Thes. III. — **Gratia creata, quam solam nunc in prima tractatus parte respicimus, distinguitur 1) ratione habita tum status naturae sive integrae sive lapsae, tum principii meritorii, in gratiam Dei et gratiam Christi ; 2) ratione finis proximi, in gratiam gratis datam et gratum facientem ; 3) ratione modi quo confertur, in externam et internam, actualem et habitualem.**

63. — **Declar.** Supposita legitimitate divisionis in **gratiam increatam,** quae est ipse Deus quatenus se cum creatura citra quodvis naturae debitum communicat (Cf. Suarez, *Proleg.* III c. 3 n. 2 sq. ; Habert c. 4, I), et in **gratiam creatam,** — de hac jam « praecipue et quasi per se dicendum est... tanquam de proprio ac immediato hujus materiae objecto ». (Suar. l. c. n. 15). — De Spiritu Sancto, qui justo tribuitur per modum doni increati, sermo erit in secunda parte tractatus. Cf. S. Thomas I, q. 38, a. 2.

64.— 1) Gratia Dei et gratia Christi (Cf.S.August. *De nat. et gratia* c.3-5 M. 44, 249) non differunt nec auctore principali nec natura, sed solo respectu et munere. Gratiae Christi causa meritoria Christus est. Est non tantum elevans sed etiam sanans. Cf. Suar. c. 2 n. 8 sq. Hurter n. 8.

N. B. Qui contendunt Verbum carnem assumpturum fuisse etiamsi Adamus non peccasset, gratiam Dei vocant gratiam Christi *capitis*, alteram gratiam Christi *Redemptoris.*

65. — 2) Gratia gratis data et gratum faciens (Suarez l. c. 4).

a) **gratis data** (Cf.Matth.X, 8 « gratis accepistis, gratis date ») est donum supernaturale (communius excluduntur quaevis mere naturalia, Cf. S. Thomas I. II q. 111 a. 1 ; Suarez l. c. n. 1-3), non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem spiritualem primo et per se ordinatum, per modum ministerii (Cf. I Cor. XII, 4 sq. Prat. I note H,p. 180 sq., II Note V_2 p. 436 sq). Potest conferri etiam peccatoribus, quia opera spectantia ad gratias gratis datas non pertinent per se ad voluntatem, nec illius rectitudinem postulant (Suarez l. c. n. 7-15).

Hinc neque omnibus destinatur et promittitur.

Dividi potest in *ordinariam* (character, jurisdicto ecclesiastica), quae est aliquo modo in hominis potestate ut eam acquirat, et *extraordinariam* (charismata, Cf. Prat. l. c.).

Quot sint gratiae gratis datae et quid unaquaeque earum sit, accipe a S. Thoma l. c. a. 4; Suarez l. c. c . 5 ; Prat. l. c.

b) **gratum faciens**, est donum supernaturale, gratis collatum, quo homo fit intrinsece acceptus Deo,

vel formaliter, i. e. sua inhaesione (gratia habitualis)

vel dispositive seu efficienter (gratia actualis).

Usu loquendi, gratia gratum faciens designat praesertim gratiam habitualem. (De modo loquendi quorumdam Veterum, Cf. Scholion).

Ordinatur primo et per se ad propriam recipientis utilitatem spiritualem. Sumpta collective, vel ad praecipuam suam partem, nequit esse in peccatoribus (Cf. Suar. l. c. n. 15).

Quod sit potior gratia gratum faciens, docet Paulus I Cor.XII,31-XIII, 1

(Cf. Prat.I p.178,179), et confirmat ratio, quia ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis, ad quem gratiae gratis datae sunt solum quaedam praeparatio (Cf. S. Thom. I. II q. 111 a. 5)

66. — 3) a) externa et interna.

externa : omnia dona gratuita a Deo collata quae, extra hominem posita, eum afficiunt in ordine ad salutem, v. g. externa praedicatio, propositio divinae legis aut doctrinae, protectio Dei qua tentationes et peccandi occasiones arcentur, occursus objectorum, eventuum, quibus salutaris cogitatio excitatur ; et generatim omnis effectus divinae providentiae ad salutem hominum, v. g. incarnatio Christi, mysteriorum revelatio, sacramenta etc.

interna : quae sub externum sensum non cadit et in ipsa anima recipitur, ejus substantiam informans vel internas potentias afficiens (gratia sanctificans, internae illustrationes et inspirationes.) Cf. S. August. De praedestinatione Sanctorum c. 8. n. 13 M. 44, 970.

N. B. Gratiae externae vere dicuntur et sunt gratia. In controversia Pelagiana Patres reprehendunt Pelagium non quod admittat tales gratias, sed quod rejiciat gratias internas, speciatim voluntatis.

Cf. S. August. Contra duas Epist. Pelag. IV c. 5 n. 11 M. 44, 617 ;
De Praed. SS^{orum} c. 24 n. 29 M. 44, 981 ;
Sermo 99 n. 6 M. 38, 598.

67. — b) actualis et habitualis, Cf. S. Thom. I. II. q. 110 a. 2, Cf. 2, b).

Haec distinctio tanti est momenti, ut inde pendeat praecipua tractatus divisio. — *Gratia actualis* est donum transiens, hominem perficiens secundum actum. *Gratia habitualis* vero est donum creatum, animae inhaerens eamque perficiens secundum statum. — Pleniorum descriptionem habebis ex ipsa explicatione tractatus.

N. B. Alias gratiae divisiones (gratia excitans, adjuvans, sufficiens efficax etc.) videbis in decursu tractatus.

68. — Scholion. (Cf. Editores S. Bonaventurae t. II p. 632) «.. quoad terminos hic et passim occurrentes praenotanda est quaedam differentia, quae est tum inter antiquos theologos et recentiores, tum inter ipsos antiquos. — *Gratia sanctificans,* ab antiquis dicta *gratum faciens,* a recentioribus theologis etiam habitualis vocatur, ut distinguatur a gratia *actuali.* Antiqui autem scholastici solebant gratiam supernaturalem dividere in duo membra principalia, videlicet in gratiam *gratis datam* et gratiam *gratum facientem.* Gratia *gratis data* jam a S. Thoma (I. II q. 111 a. 1) cum recentioribus accipitur ut illud donum Dei supernaturale « quod non datur ad hoc, ut homo ipse per eam justificetur, sed potius, ut ad justificationem alterius cooperetur ». *Divisiones* hujus gratiae, enumeratae ab Apostolo (I Cor. XII, 8 sq.) explicantur ab Alexandro Hal. (S. p. III. q. 43 m. 3) et a S. Thoma (l. c. a. 4). Etiam S. Bonaventura saepe in hoc sensu intelligit gratias gratis datas, v. g. D. 27 a. 1 q. 1 ad 2, et IV Sent. D. 7. a. 1 q. 3 ad 2, D. 24 p. 1 a. 2. q. 1 ad 5. In aliis autem locis idem gratiam a nobis dictam *actualem* etiam inter gratias *gratis datas* recenset, ut infra D. 27 dub., immo D. 28 a. 2 q. 1 explicite declarat, quod hoc nomen, praeter ea quae enumerat Apostolus I Cor. XII, 8, indicat « quidquid illud sit, quod superradditum est naturalibus, adjuvans aliquo modo et praeparans voluntatem ad habitum, vel usum gratiae »... Ita et Alex. S. p. III q. 65 m. 2.

PARS PRIMA

De Gratia Actuali

Conspectus doctrinae

Cap. I. Principia fundamentalia.

Art. 1. De essentiali libertatis creatae a Deo dependentia. Thes. 4.

Art. 2. De perfecta hominis etiam lapsi libertate. Thes. 5.

Cap. II. De gratiae actualis necessitate.

Sect. 1. Gratiae necessitas ad actus salutares. Thes. 6-10.

Sect. 2. Gratiae necessitas ad actus moraliter tantum bonos :

Art. 1. Negative : quaenam gratia non requiratur ? Thes. 11, 12.

Art. 2. Positive : quaenam gratia requiratur ? Thes. 13-15.

Cap. III. De gratiae actualis natura.

Sect. 1. Inspecta ejus supernaturalitate et gratuitate :

Gratia requisita ad actum salutarem. Thes. 16-19.

ad perseverandum. Thes. 8.

ad honeste agendum. Thes. 13, 15.

Sect. 2. Inspecto ejus modo agendi :

Art. 1. Gratia excitans et adjuvans.

§ 1. *Gratia excitans* ejus natura. Thes. 20-24.

ejus necessitas. Thes. 9, 10.

§ 2. *Gratia adjuvans* principiative. Thes. 20-24.

formaliter. Thes. 25, 26.

Art. 2. Gratia sufficiens et efficax.

§ 1. *Gratia sufficiens.* Existentia. Thes. 27.

Natura. Thes. 28, 29.

Distributio. Thes. 36.

§ 2. *Gratia efficax.* Efficaciae natura. Thes. 30.

Efficaciae ratio :

negative : contra Reformat. et Jansenist. Thes. 31.

contra Thomistas. Thes. 32.

contra Augustinienses et alios. Thes. 33.

positive. Thes. 34, 35.

Cap. IV. De gratiae actualis distributione. Thes. 36 37,

CAP. I. PRINCIPIA FUNDAMENTALIA

Duo sunt principia quibus propositiones principaliores hujus tractatus innituntur, et quae in omni disputatione salva maneant necesse est : summa Dei potentia in voluntates humanas, et perfecta hominis libertas etiam sub influxu vel efficacis gratiae divinae vel pravae concupiscentiae : quae principia juvat ab initio stabilire.

ART. I. DE ESSENTIALI LIBERTATIS CREATAE A DEO DEPENDENTIA

Thes. IV. — Omnis voluntas humana absolute et in omnibus pendet a Deo « sine dubio habente humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. » S. August. *De correptione et gratia*, c. 14, n. 45. M. 44, 943.

Cf. Wirceburg. VII, n. 364. — Monsabré, *Carême 1876*, t. VI, p. 38, 39 ; 100-104.

69. — St. Q. Duplex quaestio : 1) *factum* hujus omnipotentissimae potestatis stabilitur in thesi ; 2) *necessitas* dependentiae absolutae voluntatis humanae a Deo quaenam sit (utrum metaphysica an tantum moralis ?), tractatur in scholio.

Factum est de *fide*. De modo quo haec omnipotentia concilietur cum libertate humana, Cf. thes. 30-36.

Probatur.

1) *Implicite* affirmatur thesis *in documentis* quae omnipotentiam divinam propugnant.

Cf. Innocent. III, *Professio fidei Waldensibus praescripta* (1208) B. 421 (367) ; Vatican. B 1784 (1633).

70. — 2) *Explicite* docetur in Scriptura et Traditione.

a) Script.

Rom. IX. 18, Cf. n. 283 sq.

Philipp, II, 13. « *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* »

Prov. XXI, 1. « *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* »

Jerem. XVIII, 6. « *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.* »

Is. XLVI, 10. « *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* »

Ezechiel XI, 19, 20. « *Et dabo eis cor unum, et Spiritum novum tribuam in visceribus eorum ; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum.* » (Cf. XXXVI, 26.)

Esther XIII, 9, 11. « *Et dixit* (Mardochaeus) : *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.... Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuae.*

b) *Traditio.*

S. August. *De corrept. et gratia* c. 14, n. 43 et 45. M. 44, 942-944.
Enchiridion n. 95-103. M. 40, 275-280. — Faure, p. 178-194.
Cf. Portalié : St. Augustin. DTC 2385.

Quae doctrina S. Augustini communis est apud Patres.
Cf. S. Cyrill. Alex. *In Is. l. 4 Orat. 2.* M. 70, 965.

3) *Argumentum rationis* vide in Scholio.

71. — Scholion : Necessitas dependentiae omnimodae voluntatis creatae a Deo estne metaphysica, ita ut intrinsece repugnet creatura rationalis, vel non convertibilis in Deum, vel inobdurabilis ?

Cf. Viva, D. 1 q. 2 ; Struggl, D. 3 a. 3.

I) Exponitur quaestio.

Necessitas est ratio secundum quam aliquid non potest non esse.

Necessitas metaphysica fundatur in attributis essentialibus entis ; in casu, si dependentia est metaphysica, in terminis repugnat voluntas contigens non convertibilis vel non obdurabilis a Deo.

Necessitas moralis fundatur tantum in summa difficultate : absolute ergo possibilis esset creatura quae contra Dei voluntatem vel omni gratiae divinae resisteret vel redderet gratiam, ex voluntate divina efficacem, pure sufficientem.

Quaestio libere controvertitur inter theologos.

Quidam (Arriaga, p. I, D. 35 ; Erice D. 71 c. 6) admittunt necessitatem tantum moralem. — Henao *(De scientia media,* sect. 444) admittit necessitatem metaphysicam relate ad consensum, non vero relate ad dissensum *Communius* doctores propugnant necessitatem metaphysicam quoad utrumque.

Nota : Quaestio non est num aliqua creatura possit dissentire omnibus auxiliis ***simul*** collatis ; repugnat enim existentia simultanea omnium auxiliorum possibilium, quae numero sunt infinita ; neque omnia simul in hominem agere possunt.

72. — II. Proponuntur argumenta sententiae communioris.

1) *Argumenta dogmatica.*

a) Propositiones Scripturae et Patrum universales sunt et absolutae.

b) Ex modo fidelium petendi gratias efficaces patet omnes putare se posse habere a Deo auxilium efficax ad quodcumque opus bonum.

2) *Ratione.*

a) Deo tribuendum est dominium erga creaturas quo majos excogitari non possit citra implicantiam, sicut e converso creaturae summa subjectio ;

atqui dominium Dei, quod adstruit sententia communis, majus est, neque implicat repugnantiam, ut ex solutione difficultatem patebit ; ergo.

b) Repugnat absolute et metaphysice creatura quae se subtrahat dominio divino.

c) Omnipotentia divina infinita est et indefectibilis ; potentia vero creata est finita et defectibilis.

Ergo, si alterutra ab altera est vincenda (ut in quaestione supponitur), debet vinci potentia creata.

73. — III. Solvuntur difficultates.

1) Si in aliquo casu adest necessitas metaphysica obdurationis,jam metaphysica necessitate in illo casu peccatur ; tollitur ergo libertas, et Deus fit auctor peccati.

Resp. Si illa metaphysica necessitas habetur antecedenter ad scientiam qua Deus praevidit vel consensum vel dissensum voluntatis liberae, C. ; si habetur consequenter, N.

2) Ex doctrina Societatis omne auxilium efficax, de se, est indifferens et fit efficax ex consensu voluntatis creatae. Hinc, cuilibet auxilio creatura libera resistere potest ; ergo resistere potest etiam omnibus.

Resp. Ex doctrina Societatis, gratia efficax jam in actu primo, ante consensum praevisum futurum, infrustrabilis est, et a gratia pure sufficiente distinguitur. — Cf. thes. 30.

74. — Coroll. Ex absoluta creaturae rationalis a Deo dependentia sequitur Deum posse impedire omnem actum bonum creaturae ; hinc omnem actum bonum esse donum Dei gratuitum (Cf. thes. 13), dari veram praedestinationem (gratuitam) et reprobationem etiam in ordine naturali.

ART. II. DE PERFECTA HOMINIS ETIAM LAPSI LIBERTATE

Thes. V. — Homo, etiam lapsus, perfecta gaudet potestate non peccandi et gratiae sive consentiendi, sive ab illa dissentiendi.

Cf. Ripalda, *Adversus Baium et Baianos*, Disp. 18. — Portalié, *St. Augustin* DTC 2387 sq. — Le Bachelet, *Baius* DTC. 83-86 ; de Broglie, I p. 249 ss.

75. — St. Q. *De fide.* Thesis vindicat plenam hominis libertatem contra motus sive gratiae, etiam efficacis, sive pravae concupiscentiae.

1) **Quaestiones connexae :**

Deus impossibilia non jubet : contra Lutheranos et Jansenistas. Cf. infra, n. 77 b

Ut peccatum sit possibile, gratia sufficiens adsit necesse est.

Libertas includit potestam completam non agendi, etiam in sensu composito omnium praerequisitorum ad agendum. Haec est controversia cum Thomistis, quam vide thesi 32.

2) **Adversarios** habemus praesertim **Lutheranos** et **Jansenistas.** Cf. n. 37, 51 s. Vide quae dicta sunt, in Tractatu de Statibus, de sequelis peccati originalis.

Probatur thesis.

1) *Scriptura* (Cf. Hurter III n. 109[1,2] ; Pesch. V n. 397).
Eccli. XV, 16 ; XXXI, 8 ;
Deuteron. XXX, 19 ;
Matth. XIX, 17, 21 ; XXIII, 37 ;
Act. VII, 51 ;
I Cor. VII, 37 ; II Cor. VI, 1.

76. — 2) *Patres*

S. Irenaeus *Haeres.* IV, 4. 3 M. 7, 983 A.
Tertullian. *Ad. Marcion.* II c. 5 et 6 M. 2, 290-292. (Cf. d'Alès p. 268-270).
Macarius Aegyptius *Homil. 15*, n. 23 M. 34, 591 ; *Hom. 27*, n. 10 M. 34, 699.
S. Cyrillus Hierosol. *Catech.* IV, n. 18 et 21 M. 33, 478, 482.
S. Gregor. Nyssen., *Orat. catech.* c. 30 M. 45, 77 A.
S. Basilius, *Homil. quod Deus non est auctor malorum* M. 31, 343. 346.
S. Hieronym. *Cont. Jovin.* l. 2 n. 3 M. 23, 286.
S. Cyrill. Alex. *De ador.* l. 6 M. 68, 456 D ; *Cont. Jul.* l. 4 M. 76, 716 A ; Cf. lib. 18, col. 1061 D ; *In Epist. ad Rom.* 7, 15 M. 74, 810 D ; *In Joan.* l. 4, M. 73, 632 A ; l. 9 M. 74, 278 D.
S. Augustinus (1) (cujus doctrina in hac quaestione momentum magnum habet).

De duabus animabus c. 11 n. 15 M. 42, 105 (an. 391, 392).
Cont. Faust. Manich. l. 22 c. 98 M. 42, 466 (an. 400).
De spiritu. et litt. c. 34 n. 60 M. 44, 240 (an. 412).
De civit. Dei l. 5 c. 9 et 10 M. 41, 148-153 (an. 413-415).
De nat. et gratia c. 65 n. 78 M. 44, 286 (an. 415).
De corrept. et grat. c. 14 n. 43 M. 44, 942 (an. 426, 427).
De grat. et lib. arbitrio c. 2 M. 44, 882-884 (an. 426, 427).
Opus imperf. l. 1 n. 47 M. 45, 1067 sq. (an. 429, 430).

De vocat. omn. gent. l. 1 c. 8 M. 51, 654 ss.
Cf. St. Franç. de Sales, *Traité de l'amour de Dieu* l. 2 ch. 12.

77. — 3) *Ex authenticis Ecclesiae documentis* **de fide est** :

a) Liberum arbitrium per peccatum originale non esse exstinctum.
Leo X, Damnatio Lutheri, B. 776 (660) ;
Trident. VI, cap. 1, B 793 (675), can. 5, B, 815 (697).

b) Praecepta Dei non esse impossibilia et hominem non necessitari ad peccandum.

(1) Quoad doctrinam S[i] Augustini de libero arbitrio, cf. :
Portalié, *S. Augustin* DTC 2387-2389 ;
Tixeront, *Histoire des dogmes* II, p. 478 ss. ;
Fonsegrive, *Essai sur le libre arbitre*[2] p. 93-97 ;
Mausbach, *Ethik. des hl. August.* II. p. 240-258 ;
Kolb, *Menschliche Freiheit... nach Augustin* p. 29-46 ;
Schneemann S. J. *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia* p. 43 s.

Damnatio Lutheri, B. 776 (660).
Trident. V, 5, B. 792 (674) ; VI, cap. 11, B. 804 (686) ; can. 6, 18, B. 816 (698), B. 828 (710).
Baius, prop. 27, 28, 51, 65, 67, B. 1027 (907) sq. Cf. Le Bachelet l.c.
Jansen, prop. 1, B. 1092 (966).

c) hominem manere liberum etiam sub motione gratiae.
Indiculus Ps. Coelestini, B. 141 (96).
Leo IX, Symbol., B. 348 (296).
Trident. VI, cap. 5, B. 797 (679) ; can. 4, 6, B. 814 (696), 816 (698).
Jansen. prop. 2, B. 1093 (967).
Quesnel prop. 10, 38, B. 1360 (1225), 1388 (1253).
Synod. Pistor. prop. 21, B. 1521 (1384). — Vatic. c. 3, B. 1791 (1640).

d) Ad merendum et demerendum requiri non tantum libertatem a coactione sed a necessitate.
Baius prop. 39, 66, B. 1039 (919), 1066 (946).
Jansen. prop. 3, B. 1094 (968).

e) Ad peccandum libertatem Adami non sufficere.
Alex. VIII, prop. 1, B. 1291 (1158). Cf. Le Bachelet, *Alex. VIII*, DTC 752.

78. — 4) *Ratione theol.* (Cf. Ripalda l. c. sect. 8.)
Libertas necessaria est ad peccandum,
ad merendum.
Omne proemium et omnis sanctio jam forent inutilia et injusta.
Omnis scientia moralis everteretur.
Pessumdarentur Dei sanctitas et justitia.

CAP. II. DE GRATIAE ACTUALIS NECESSITATE

SECT. I. DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS SALUTARES

Thes. VI. Interius gratiae supernaturalis auxilium absolute et physice necessarium est ad quodvis opus salutare.

Contra Pelagianos, Cf. n. 19 sq.

79. — **St. Q.** — Supposita nunc ordinatione hominis ad finem visionis intuitivae ; supposita quoque lege qua adultus finem hunc assequi suis actibus tenetur, *quaeritur an valeat hos actus elicere propriis naturae suae viribus.*

Opus salutare : quod ad visionem intuitivam positive conducit quatenus proportionatum. Ratio meriti, quam includit, nunc directe non spectatur.

Gratia supernaturalis, i. e. donum homini ultra quasvis naturae exigentias a Deo collatum.

Auxilium significat gratiam actualem, de qua praesertim agebatur in controversia Pelagiana. Abstrahimus tamen nunc a quaestione, num in

homine justificato gratia habitualis vices supplere possit gratiae actualis : de qua Cf. thes. 9.

Necessarium *absolute*, i. e. independenter a quavis hypothesi, supposita semel ordinatione ad visionem intuitivam.

physice, i. e. impotentia non tantum est maxima difficultas, sed oritur ex defectu intrinsecae et entitativae proportionis falcultatum naturalium cum actu eliciendo. *Proinde gratia confert ipsum posse, non tantum facilius posse.*

Thesis enuntiat *dogma definitum ;* quatenus tamen asserit hanc gratiam esse supernaturalem, est *theol. certa* (Cf. Hurter n. 35).

Probatur

1. Necessitas absoluta et physica gratiae internae.

80. — 1) *Ex authenticis Ecclesiae documentis.*

Concil. Carthagin. 418. can. 4, 5, B. 104 (68) sq. ;
Arausic. II (529) can. 6, 7, B. 179 (149) sq. ;
Trident. VI, can. 1-3, B. 811 (693) sq. ;
Vatican III. cap. 3 B. 1791 (1640), can. 5 B. 1814 (1661) ;
Innoc. I epist. ad Patres Conc. Milev. (417) n. 4 M. 33, 785 ;
Zosimus, Tractoria (418) M. 45, 1730. 1731. B. 134 (92) ;
Coelestinus I. epist. ad episc. Galliae (431 ?) c. 9-12 M. 45, 1758, B. 135 (93), Cf. B. 141.

N. B. In omnibus documentis controversiae Pelagianae, sermo est directe et primario de gratia *actuali*, cujus necessitas igitur *saltem implicite definita est.*

81. — 2) *Patres.*

S. Iren. (130 ?-202 ?) *Cont. Haeres.* l. 3 c. 17 n. 2 M. 7, 930.
Tertull. (160 ?-240 ?) *De anima* c. 21 M. 2, 685.
Origen. (185-215) *Periarchon* l. 3 c. 1 n. 18, 22 M. 11, 290, 302.
S. Hilar. Pictav. (311 ?-366) *In psalm. 118* l. 1 n. 12 M. 9, 509. *In ps. 142* n. 7. col. 840.
S. Zeno (380), Cf. Ballerini, *Dissert. II* c. 5 M. 11, 123-126.
S. Gregor. Naz. (330-390 ?) *Orat. 37* n. 13 M. 36, 298.
S. Gregor. Nyss. (329 ?-394) *De orat. domin.* Orat. 4 M. 44, 1166 ;
De Inst. christ. M. 46, 303-306.
S. Gregor. Magn. († 604) *Homil. 30* M. 76, 1222.
S. Ambros. (340-397) *De Cain et Abel*, l. 1 n. 45 M. 14, 338 ;
In Luc. l. 2. 84 M. 15, 1585.
S. Joan. Chrysost. (344 ?-407) *In cap. 7 Genes. Homil. 25* n. 7 M. 53, 228.
Concil. Diosp. (415) « *Septimo, ut fateatur (Pelagius) gratiam Dei et adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra.* » Mansi IV, 313 ; Cf. S. Aug. *de gestis Pelag.* n. 30 M. 44, 337 ; Epist. 186 n. 33 M. 33, 828.

N. B. Hoc documentum, utpote nunquam ab Ecclesia authentice approbatum (cf. Innoc. apud S. August. *De peccato origin.* n. 10 M. 44, 390) citatur tantum ut argumentum traditionis.

S. August. († 430) Innumeris in locis. *De Civit. Dei* l. 15, c. 6 M. 41, 442. Cf. *Cont. duas epist Pelag.* IV n. 25-33 M. 44, 625-638 ; *Cont. Jul.* l. 2 n. 34 M. 44, 697 sq., ubi invocat auctoritatem Patrum antiquiorum.

S. Vincent. Lirin. (434) *Commonit.* c. 24 M. 50, 670.

S. Cyrill. Alex. *In Rom. 8, 28* M. 74, 827 B ; *In Joan.* XV, *2 et* XVII, *12, 13* M. 74, 352 et 524 A ; *In Luc.* VI, *27 ;* XIII, *23 ;* XXII, *39* M. 72, 596. 776. 920 etc.

3) *Ex praxi Ecclesiae et fidelium.* Ipsa Ecclesia in liturgia et publicis precibus implorat, et docet fideles ut implorent, in omnibus divinam gratiam tanquam necessariam ad salutariter agendum. Quo argumento utitur Coelestinus I, *Epist. ad episc. Galliae* c. 11 M. 45, 1759 B. 139 (95).

August. *De dono persev.* c. 23 n. 63 s. M. 45, 1031. Cf. n. 13, col. 1001.

Oratio Dom. III^ae post Pentec. « *Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil validum, nihil sanctum...* »

Orat. Dom. VIII post Pentec. « *Largire nobis... Domine semper spiritum cogitandi quae recta sunt propitius et agendi : ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus.* » Cf. Dom. 16, 18 post Pent.

82. — 4) *Scriptura* a) negat nos posse quidquam boni salutaris absque gratia ; b) docet omnem sufficientiam cujuslibet operis salutaris esse a solo Deo. Atqui ex duplici hoc capite deducitur necessitas physica et absoluta gratiae supernaturalis interioris ad quodlibet opus salutare.

Prob. maj. **Joan. XV, 1** s. Cf. Knabenbauer p. 444 ss. ; Corluy, *Spicil.* II p. 301 s.

Ad textum nota : *agitur de gratia supernaturali,* nam α) sermo est de eo influxu quem exserit X^tus in palmites, quatenus est vitis, seu quatenus est Verbum caro factum ; atqui Verbum caro factum est ordinis supernaturalis ; β) agitur de vita qua specialiter homo unitur cum Deo, cujus initium habetur per renascentiam ex aqua et Spiritu Sancto (Jo. III, 5). *Interna,* etenim influxus vitis in palmites est internus ; *quae necessaria est necessitate physica et absoluta :* « *nihil* potestis facere. » Cf. S. August. *Tract. 81 in Joann.* n. 3 M. 35, 1841. *Cont. duas ep. Pel.* l. 2 n. 18 M. 44, 584. Trident. VI cap. 16, can. 2, B. 809 (691) ; 812 (604). Carthag. (418) can. 5 B. 105 (69).

Non dicimus hunc textum vel exclusive vel primario interpretandum esse de gratia actuali. Sufficit ut doceat necessitatem gratiae ad omne opus salutare : inde concludas hanc gratiam esse actualem saltem in non justificato.

II Cor. III, 4-6 directe agit de praedicatione apostolica, ideoque, per se, non probat thesim. Cf. Prat. *St. Paul* I p. 203, 204. — Arausic. II, can. 7, B. 180 (150) ; S. Augustinus (*Cont. duas ep. Pel.* n. 18 M. 44, 584 ; *De praed. Sanct.* n. 5, M. 44, 962 etc.) et alii textum interpretantur de necessitate gratiae ad omne opus salutare, ideoque *textus habet valorem saltem ex traditione.*

83. **Philip. II, 12-13.** Cf. Arausic. II can. 4, B. 177 (147).

Hujus textus commentarium egregium scripsit, circa finem saeculi IV^i, Marius Victorinus Afer ; « Sed rursus ne unusquisque parum gratiam Deo referat, si ipse sibi salutem

operari videatur, adjectum est illud, *Deus est enim qui operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate.* Ergo *salutem vestram,* inquit, *operamini :* sed ipsa operatio tamen a Deo est : Deus enim operatur in vobis, et operatur ut velitis ita. Et velle quasi nostrum est, unde nos operamur nobis salutem. Et tamen quia ipsum velle, a Deo nobis operatur, fit ut ex Deo et operationem et voluntatem habeamus. Ita utrumque mixtum est, ut et nos habeamus voluntatem, et Dei sit ipsa voluntas ; et quia habemus voluntatem, adsit efficacia pro bona voluntate... Operatur autem Deus in nobis, et velle et agere, pro bona voluntate. Ita qui non ex Deo operatur, primum non habet velle : deinde etiam si habuerit velle, efficaciam non habet, quia non habet bonam voluntatem. » *In epist. Pauli ad Philipp. liber* M. 8, 1212.

— Homines sine gratia exhibentur mortui (Ephes. II, 1) caeci (V, 8), animales (I Cor. II, 14). Cf. Hurter n. 31, 1.

5) *Ratio theol.* Actus oportet esse fini proportionatos. Cf. S. Thom. I. II q. 109 a. 5. Billot, *De gratia* p. 74.

84. — II. Et quidem gratiae supernaturalis. — Deducitur necessario :

1) *Ex gratiae necessitate absoluta et physica,* quae provenit ex supernaturalitate finis.

2) *Ex gratiae absoluta gratuitate* (Cf. thes. 18) quae arguit discrimen ordinis.

3) *quia gratia requisita*

a) *est influxus Christi vitis.* Joan. XV. 1 s. — Cf. n. 82.
Cf. S. August. *Epist. 217* n. 11, M. 33, 982.

b) *illa est qua justificamur, salvamur :*
Conc. Carthag. can. 5 B. 105 (69) ;
Arausic. II. can. 7, B. 180 (150) ;
Trident. VI. can. 1, 2, B. 811 (693) sq.
S. August. *Epist. 177* n. 7. 8 ; 194 n. 8 M. 33, 767 sq., 877 ;
Cont. Jul. l. 4 c. 3 n. 33 M. 44. 755.

c) *est gratia filiorum, non extraneorum :*
S. August. *De patientia* c. 27 et 28 M. 40, 624 ;
Sermo 26 n. 7 M. 38. 173.

d) *est infusio et inspiratio Spiritus Sancti :*
Conc. Asauric. II can. 6, B. 179 (149) ;
Trident. VI can. 3, B. 813 (695).

N. B. Haec II[a] pars accuratius est explicanda in thesi 16[a].

Difficultates. Cf. Wirceb. n. 294.

Thes. VII. — Eadem gratia eadem necessitate requiritur etiam ad initium fidei salutaris.

85. — *De fide defin.* **contra Semipelagianos.** Cf. n. 29 sq.

Thesis est etiam contra **Abelardum** (Cf. M. 182, 1051 n 6 ; Portalié, *Abélard,* DTC 44, 47) ; Cf. B. 373 (315), et **Hermes** qui docet actus fidei, amoris in Deum, et fiduciae, qui mox transeunt nec ita efficaces sunt ut eorum influxu lex spiritus praevaleat contra legem carnis, non

esse salutares, ac proinde nullam requiri gratiam. (Cf. Hurter n. 32, Kleutgen, *Theol. der Vorzeit* II p. 195, 196).

Probatur.

N. B. Omnia argumenta quae contra Pelagianos attulimus valent etiam contra Semipelagianos, supposita, et ex ipsis documentis positive probata, supernaturalitate fidei salutaris. — Thesis directe probatur.

1) *Ex documentis Eccl.*

Indiculus de gratia Dei cap. 5, 7, 9, B. 131 (89) s.

Arausic. II, 3, 4, 5, 6, 7, B. 176 (146) s.

Trident. VI cap. 5, B. 797 (679) can. 3, B. 813 (695).

86. — 2) *Patres.* Fatendum est quaedam inveniri apud Patres asserta quae thesi nostrae contradicunt. Ipse testatur Augustinus se olim putasse « fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrari Dei dona quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc saeculo ». *(De praedestinatione Sanctorum*, c. 3 n. 7 M. 44, 964). — De qua difficultate Cf. Scholion. n. 88.

S. Ambros. *Expos. Evang. secundum Lucam* l. 2 n. 84, M. 15, 1583.

S. August. *De dono persever.* c. 19 n. 50, M. 45, 1025.

De praed. Sanct. c. 8 n. 16, M. 44, 972.

Retract. l. 1 c. 23 n. 3, M. 32, 621 sq.

S. Prosper. *Contra Collat.* c. 3 n. 8, M. 45, 1805.

Alios textus vide apud *Palmieri* thes. 26 ; *Tixeront* II p. 282.

3) *Script.*

Joan. XV, 5 : *nihil potestis.*

Joan. VI, 44, 45 : *Deus hominem trahit, non homo Deum.*

I Cor. IV, 7 : *Deus discernit.*

87. — 4) *Rationes theol.*

a) Ille actus, prae caeteris, videtur esse salutaris qui realiter inchoat salutem et a quo reliqua omnia pendent.

b) Secus Deus non esset primus motor in ordine salutis. Cf. S. Thom. I. II q. 109 a. 6.

c) Ecclesia semper postulavit a Deo donum fidei pro infidelibus, pro illo concesso consuevit gratias agere, et pro certo habuit fidem esse donum Dei tale quod nonnisi per gratiam accipiatur.

Difficult. Cf. Van der Meersch n. 58.

88. — Scholion. Utrum Patrum quorumdam, graecorum praesertim, doctrina faveat Semipelagianis.

Vasquez *I. D.* 89 c. 3. 4 ; Petavius, *De Deo Uno* l. 9 c. 4, 5 ; Habert, *Theol. Graec. Patr.* l. 1 c. 8 et 24 n. IV sq. ; Wörter, *Beiträge...* p. 16-19 ; Palmieri, Thes. 33 ; Tixeront II, p. 145-148 ; 282 sq. ; Pesch n. 54, 99 ; Molina. *Concord.* p. 247.

1) **Exponuntur textus quidam difficiliores :**

S. Gregor. Nyssen. *De Orat. domin.* Orat. 4. M. 44, 1165 A ;
De Instituto christiano M. 46, 304 sq.
S. Greg. Nazianz. *Oratio 28* n. 13 (Cf. n. 21), M. 36, 44 B ;
40 n. 27 M. 36, 397.
S. Joan. Chrysost. *In Epist. ad Ephes.* c. 2 Homil. 4 n. 2, M. 62, 33.
ad Philipp. c. 2 Hom. 8 n. 1, 2, M. 62, 240 sq.
ad Rom. Hom. 15, 1, M. 60, 541.
16, 5-9 col. 554-562
18, 5 col. 578 ssq.
ad Hebraeos Hom. 12, 3, M. 63, 99.
In Genes. Homil. 25, 7 M. 53, 228 sq.
S. Hieronym. *In Isai.* XLIX, *4*, M. 24, 465 ;
Dial. adv. Pelag. l. 1 n. 5 M. 23, 500 sq. ;
l. 3 n. 1 col. 569.
S. Optat. Milevit. *De Schimate Donatist.* l. 2 n. 20 M. 11, 974.

89. — 2) **Quid respondendum ?**

Recte animadvertit Petavius, Patres per gratiam saepius intelligere vel vocationem externam, vel statum gratiae, vel gratiam perfectam, non inchoatam.

Fatemur tamen quasdam Patrum formulas non esse valde accuratas, imo difficiliores forsan non tradere doctrinam catholicam de gratiae necessitate. — Ne obliviscaris quaestionem de gratiae necessitate in Ecclesia Orientali nondum fuisse explicite positam saeculo IV°.

Caeterum graviores etiam theologi difficultatem non negant : vide Molinam, Pesch, Vasquez (qui cap. 4 n. 26 recte advertit Cassianum fuisse discipulum Chrysostomi), Tixeront.

Thes. VIII. — Non potest justus in accepta justitia diu perseverare sine speciali Dei auxilio, distincto a gratia habituali, etsi non a summa auxiliorum quibus instruitur ad salutariter agendum et ad peccata vitanda. Actualis vero usque in finem perseverantia ita divinae misericordiae debetur, ut merito dicenda sit « magnum Dei donum », quod tamen justus potest suppliciter emereri.

90. — **St Q.** 1) **Perseverantia** est continuatio in statu acceptae gratiae sanctificantis. — Est *imperfecta*, si tantum per aliquod tempus ; *perfecta*, seu *formalis*, seu finalis, si usque ad mortem.

Gratia *perseverantiae finalis*, in concreto, consistit :

a) in speciali protectione Dei externa, qua justum ab iis tentationibus praeservat Deus, quas, si occurrerent, praevidetur non superaturus.

b) in speciali directione Dei per auxilia interna quibus justus cooperaturus praevidetur.

c) in speciali providentiae dispositione qua mors procuratur illo instanti quo homo versatur in statu gratiae.

N. B. Inter *perseverentiam finalem* et *confirmationem in gratia*, differentia quaedam accidentalis tantum adesse videtur : confirmatio in gratia est perseverantia « quae cum singulari excellentia et copia auxiliorum donatur. » (Cf. Suarez *De Gratia*, l. 10 c. 8 ; S. Thom. *De verit.* q. 24 a. 9).

Perseverentia finalis distinguenda est activa et passiva.

activa : status gratiae quatenus conservatur per actus supernaturales justi.

passiva : conjunctio finis vitae cum statu gratiae.

In infantibus et perpetuo amentibus perseverentia est tantum passiva.

91. — 2) **Duplex quaestio ;**

a) Quid requiritur ut justus *possit* perseverare diu aut finaliter ?

Resp. Requiritur auxilium speciale, i. e. distinctum a gratia habituali Haec 1ª pars, est *de fide def.* ex Trident. VI can. **22.**

Non vero distinctum a summa gratiarum actualium quae omnibus justis communia sunt. Haec 2ª pars est *probabilior* contra Suarez, *De Gratia* l. 10 c. 2 n. 6.

b) Quid requiritur ut justus *actu* perseveret finaliter ?

Resp. cum Trident. VI cap. 13 et can. 16, requiri magnum Dei donum, scil. distinctum a summa auxiliorum actualium quibus justus *potest* perseverare, i. e. requiritur gratia *efficax* quae erit *vel supernaturalis*, si agitur de victoria salutari, *vel naturalis*, si de victoria tantum honesta, de qua Cf. thes. 14.

Haec est 3ª pars, quae defenditur ut *certa.*

Additur 4ª pars : magnum perseverantiae donum, licet nequeat esse objectum meriti de condigno, potest tamen obtineri a justo par supplicem obsecrationem : *Certum.*

Probatur.

92. — 1ª pars : Requiritur donum distinctum a gratia habituali.

1) *Docum. Eccl.*

Indiculus De Gratia, B. 132 (90) ;

Arausic. II can. 10, 19 B. 183 (153) sq. ;

Trident. VI can. 22 B. 832 (714), **ad quem canonem nota :**

a) sensus non est : actus voluntatis quo quis statuit se velle perseverare usque in finem, fit ex gratia ; sed : nemo potest perseverare sine speciali Dei auxilio.

b) Concilium loquitur tantum de adulto ; infantes enim nullo speciali auxilio indigent.

c) impotentia perseverandi est moralis : secus, justus sine auxilio speciali physice necessitatur ad peccandum, quod est absurdum. Cf. cap. 11. B. 804 (686).

d) speciale auxilium de quo sermo est significat gratiam actualem. Hic enim, tempore concilii, erat sensus hujus vocis.

Cf. Straub, *Zeitschrift*, t. 21 p. 112, nota.

e) quod auxilium speciale non necessario est gratia interna : ne justus

peccet, providentia Dei externa cavere potest ; neque gratia dans vires : etenim justus, etiam non perseverans, habet potestatem completam, sicut justus perseverans, qui igitur a non perseverante differt non quoad posse sed quoad factum esse.

De sensu hujus canonis Cf. *Hefner*, p. 352 ; *Lingens*, Zeitschrift für kath. Theol. l. 20 (1896) p. 40 ss.. 364 ; *Straub*, ibid. t. 21 (1897) p. 107 ss. 209 ss.

2) *Patres.*

S. August. *De dono perseverantiae* n. 2, 3 M. 45, 995 sq. n. 41, c. 17. col. 1018. Cf. n. 15 et 63 ; *De corrept. et gratia* n. 29 ss. M. 44, 933 ss.

S. Cyrill. Alex. *De Ador.* l. 1 M. 68, 149 B.

3) *Rationes theol.*

a) Gratia habitualis non tollit mutabilitatem liberi arbitrii, nec fomitem. Cf. S. Thom. II, II q. 137 a. 4.

b) ad quodvis opus salutare etiam justus indiget gratia actuali (Cf. thes.9) atqui nequit diu perseverare quin agat salutariter.

93. — 2ª pars : Non requiritur auxilium distinctum a summa auxiliorum...

Tale auxilium deberet probari vel ex revelatione, vel ex natura rei ; atqui neutrum. — Prob. min.

1) *non ex revelatione* : testimonia quae affert Suar. l. 10 c. 24, 7-10 non videntur probare nisi gratiae necessitatem ad salutariter agendum.

2) *non ex natura rei,* (Cf. Suar. l. c. n. 17) :

a) qui habet auxilia sufficientia ad unumquemque actum,habet auxilia ad omnes actus collective.

b) sane major est difficultas in collectione actuum ; sed majus est etiam auxilium collectio gratiarum.

3ª pars : Ut actu perseveret justus, requiritur auxilium distinctum ab auxiliis quae dant posse.

1) *Documenta* Trident. cap. 13, B. 806 (689); can. 16, B. 826 (708) ; Arausic. II 10 et 19. B. 183 (153) sq.

2) *Ecclesia* constanter a Deo postulat gratiam finalis perseverentiae. Cf. Mazzella n. 330 :
S. Aug. *De dono persev.* n. 3, 15, 63.

94. — 3) *Ratio theol.* Perseverantia finalis est tum passiva, tum activa ; *passiva :* beneficium Dei : potuisset quis mori in alio instanti.
Cf. S. Aug. *De dono persev.* n. 41 c. 17.
beneficium distinctum a caeteris donis : non est datum pluribus qui habuerunt gratiam sanctificantem et gratias sufficientes. Sine illo omnes aliae gratiae sunt de facto inutiles.

beneficium gratuitum : fixatio termini probationis non cadit sub merito de condigno. S. Aug. *De corrept. et gratia* n. 17, M. 44, 925 sq. — Cf. S. Thom. I. II q. 114 a. 9.

activa, de qua Dominus Noster : « *qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* » Mat. X, 22 ; et Trident. VI. cap. 13, B. 806 (689) : collatio auxiliorum efficacium prae sufficientibus est magnum Dei donum, ipsis quoque justis gratuitum (Cf. n. 127) ; atqui perseverentia activa non fit sine auxiliis efficacibus.

4ª pars : Perseverantia finalis non est objectum meriti ; potest tamen suppliciter impetrari.

95. — Quid sit meritum, de condigno, de congruo Cf. n. 160.

1° *Duo certa* : a) nequit justus mereri ullatenus perseverantiam integram : 1ª gratia efficax non cadit sub meritum. Suar. *De Gr. XII*, c. 38, n. 11. Cfr. X, c. 7. n. 16. — b) neque potest mereri de condigno perseverantiam passivam seu formalem.

2° Quod autem possit impetrare, sive suppliciter emereri, et quidem in fallibiliter, formalem perseverantiam, id constat :

a) *Verbis D. N.* (Luc. XI, 5 seq. etc.) quibus tribuitur orationi efficacia universalis ; proinde etiam quoad perseverantiam finalem. *Nota*, cum Suar. XII, c. 38. n. 14 quod haec infallibilitas convenit orationi principaliter qua est impetratio, non qua est meritoria. Atqui vis impetratoria orationis nititur maxime promissioni divinae quae non potest fallere. — *Conditiones* orationis « *ut oportet* » sunt praecipue 1) ut sit petitio constans et jugis 2) status gratiae in orante. Cfr. Suar. XII, c. 38, n. 14 et 15 ; quia se ipsa res postulata intrinsece gratiam supponit, postulat gratiam in orante ut impetratoria sit, et consequenter perseverantiam in gratia ut infallibiliter impetratoria sit.

b) *Auctoritate S. Aug. De dono perseverantiae*, cap. 6, n. 10. « *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest ; sed quum datum fuerit, amitti contumaciter non potest* ». M. 45, 999.

96. — Objectiones.

Perseverantia finalis non est speciale donum ; nam : 1° Vires ad perseverandum praestantur sufficienter per gratiam sanctificantem ; 2° quia (I. II. q. 109, a. 9 ad 1) ipsa dat vires ad actus omnium virtutum perficiendos ; 3° quia, juxta Augustinum *(De Nat. et gr.*, cap. 26. n. 29, M. 44. 261) et Milev., can. 3. n. 103 (67),gratia justificationis non valet tantum ad remissionem peccatorum, sed etiam adjuvat ut non committantur : tum quia, secundum Trid. VI, cap 11, n. 804 (686),Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur ».

Resp. ad 1um : dat vires physicas... C ; morales N. vel. Sd. formaliter et proxime N. exigitive C. Est titulus ad cujus exigentiam Deus confert justo auxilia excitantia et sanantia ; nec tamen exigit ut Deus conferat auxilia quae praevidet fore efficacia.

Ad 2um : vel gratia qua justificamur est integra series auxiliorum quibus ad justificationem adducimur (Cf. can 5) et sic nulla est difficultas ; vel complectitur etiam gratiam habitualem (quod videtur parum probabile, si conferas can. 3um cum 4° : *eamdem* gratiam Dei) ; et sic valet in adjutorium per modum naturae et remote C.,per modum auxilii constituentis in actu proximo ad operandum N.

Ad 3um non deserit conferendo gratia sufficientes C., efficaces *subd.* praecise ex titulo gratiae justificantis n., ex speciali benevolentia C.

Ad S. Augustinum. l. c. Etiam per gratiam habitualem dicimur sanari. Homo autem sanus non indiget alio speciali auxilio.

Resp. Sanitate perfecta N. imperfecta, quae indiget perfici, collatis auxiliis medecinalibus C.

2° Adamus potuit persevarare absque speciali dono, prout docet Aug. *de Corr. et gr.*, c. 12, n. 34 M. 44, 936. — Atqui plus nobis per Christum restitutum quam per Adami praevaricationem fuerat ablatum (Rom. V. 20).

Resp. Dist. Maj.: sec. Aug. Adam accepit quo *posset* perseverare si vellet, non tamen quo perseveraret C., utrumque.... N.

Ad. min. — Si perseverantia nostra est speciale donum non esset plus a X° restitutum, D, si *posse* perseverare.... non habemus nisi per speciale donum.... non plus restitutum est *C.* : nam illud posse perseverare nobis collatum est in eodem scientiae divinae signo, quo ipsi Adamo. — Si *actu perseverare* est speciale donum, non plus restitutum fuit... N. Cfr. S. Thom. I. II. q. 109, a. 10 ad 3.

3° Auxilium ad perseverantiam necessarium debetur homini justo ; ergo non est speciale donum.

Resp. Dist. — debetur auxilium sufficiens ne justitia excidat, *C.* ; auxilium efficax, N. vel Sd. ex titulo justitiae, N. ; ex titulo meriti, sive de congruo fallibili (ut volunt alii ; in quo casu nullum adest jus proprie dictum), sive, ut alii, de congruo infallibili (ob infallibilem Dei promissionem ; in quo casu jus ad perseverantiam fundatur in Dei promissione, et ultimo reducitur in speciale beneficium Dei conferentis gratiam quae praevisa fuit efficax prae alia quem praevidit mere sufficientem) ; sic *C.*

4° Ergo ii perseverare non possunt quibus non confertur donum illud speciale.

Resp. Impotentia *antecedente* abusum gratiarum conditionate futurum atque decretum absolutum Dei certum ordinem, praelucente scientia media, eligentis N., *consequente*.... C. Deus vult quidem serio omnes salvos fieri, voluntate tamen antecedente hanc praescientiam et hoc decretum. — Donum speciale stat in eo quod Deus elegit hunc ordinem in quo conditionate praesciebatur quis bene usurus gratiis ad finem usque vitae, prae alio in quo praesciebatur iisdem male usurus. Hinc perseverat quidem homo, aut non perserat quia *vult* aut *non vult* ; haec tamen ejus bona vel mala voluntas non est ejus perseverantiae (aut non-perseverantiae) causa unica, sed partialis tantum,cum imputatione meriti vel demeriti ; altera causa est decretum Dei libere et absque vituperio unum ordinem eligentis prae alio.

5° Secundum explicationem hic traditam perseverantia oritur ex libero consensu arbitrii cum gratiis communibus ; e. non est speciale donum.

Resp. Cum gratiis collatis absque praescientia conditionata consensus, cum voluntate absoluta illius obtinendi N., collatis sub hac praescientia.... etc. Sd. perseverentia oritur ex eo consensu partialiter C., adaequate N. Hic ipse,prout a Deo absolute intentus collatione talium gratiarum quas praescivit efficaces, est speciale beneficium ; praeterea Deus libere, — et speciali dono — conjungit instans mortis cum statu gratiae in eo qui perseverat.

97. — Neque difficultas contra thesim moveri potet ex « *magna promissione* » *SS. Cordis Jesu.* Etenim, etiam si cum Patre Vermeersch et aliis admittis,illam esse *promissionem proprie dictam et specialem* inde tamen non sequitur praxim novem Communionum habere rationem meriti de condigno, imo neque meriti de congruo, sed tantum impetrationis. Cf. Van der Meersch n. 388.

De magna promissione cf. Bainvel, *La dévotion au Sacré-Cœur* (Beauchesne 1911) p. 76-81 ; *Id. S. Cœur* DTC ; Le Bachelet. *Études 1901* t. 86 p. 385-94 ; Vermeersch, *Études 1903*, t. 95 p. 503-600. Id. *La grande promesse du S. C.* broch. 1903 ; Id.*Pratique et doctrine...* (1906) p. 555 s., etc.

98. — **Schol.** 1. Juxta Ripaldam (D. 94 s. 2), plerosque alios theologos, justus perseverantiam non solum impetrat sed etiam meretur de congruo, quia omne opus bonum justi — proinde etiam oratio — est meritorium : *sententia probabilis*.

Infallibilitas vero huic orationi convenit non formaliter qua meritoria est, sed qua impetratio, Cf. Suarez l. 12 c. 38 n. 17.

99. — **Schol.** 2. Seclusa speciali revelatione nemo scire potest certitudine absoluta et infallibili se magnum illud usque in finem perseverentiae donum certo habiturum.

De fide defin. Trident. c. 12, 13, B. 805 (688) sq ; can. 14, B, 826 (708).

Cf. S. Aug. *De dono persev.* n. 33, M. 45, 1012.

Thes. IX. — 1) Etiam peccator fidelis, et ipse justus, aliquo sensu vero indigent gratia excitante ad singulos actus salutares. 2) Qui sensus est eos indigere gratia efficaci supernaturali quoties salutariter *agunt* ; 3) imo probabiliter eos indigere nova excitatione immediata a Deo, etiam ut salutariter agere *possint*.

100. — **St. Q.** 1) Requiri gratiam excitantem supernaturalem in eo qui primo accedit ad justificationem, probatum est in thes. 6 et 7. Quaestio nunc restringitur ad fideles peccatores et justos.

2) **Certa sunt duo :**

a) In peccatore fideli requiritur gratia excitans supernaturalis ad singulos actus salutares quorum non habet habitum : relate ad illos est sicut infidelis.

b) In justo ad diu perseverandum requiritur gratia specialis de qua in thes. 8.

101. — 3) **Dubia remanent duo :**

a) Utrum *peccator fidelis* indigeat gratia excitante ad actus fidei et spei quorum habitibus est instructus ?

Negat Vega (De Justif. l. 6 c. 7) hujus excitationis non utilitatem sed necessitatem. — Ratio difficultatis est quia talis peccator instruitur habitu fidei et spei (saltem regulariter) ; aliunde praecessit Dei vocatio et excitatio ; ergo videtur posse immediate et pro voluntate sua producere actus harum virtutum ; mediante vero fide et spe potest se excitare ad actus aliarum virtutum quarum habitus non habet.

Sed assertio nostra *communior* est. Cf. Suar. l. 3. c. 8 n. 12.

b) Utrum *justus* gratia excitante indigeat ad *omnes* actus salutares ? Ratio dubitandi eadem est, imo major, ac in peccatore fideli : habet enim justus gratiam sanctificantem et omnes virtutes infusas.

Negant Molina : *Conc. q. 14 a. 13* D. 8 ;

Bellarm. *De grat. et lib. arb.* VI cap. 15 sent. 13 ;

Valentia *I. II* D. 8 q. 3 p. 3 § gratia vocante ;

Vega l. c. etc.

102. — *Commnnior* tamen est sent. *affirmans*, quae potest intelligi :

vel hoc sensu, quod nova gratia excitans requiratur *ad unumquemque actum.* Ita Ripalda D. 106 n. 16 ;

vel hoc sensu, quod nova gratia excitans requiratur et sufficiat *ad incipiendas singulas actuum series :* primus actus deliberatus uniuscujusque seriei poterit fungi munere gratiae excitantis respectu sequentis etc. *Ita nos cum multis.*

4) Agitur in thesi de actibus qui nullam praebent specialem difficultatem. — Exigimus gratiam excitantem qua excitans est, non qua elevans ; *hinc, sufficit excitatio ad modum causae moralis.*

5) Tenemus tamen contra Vasquez *(I. II,* D. 217 c. 6) hanc excitationem esse supernaturalem. Secunda et tertia pars theseos explicant partem primam. Secunda pars difficultatem non habet : enunciat *doctrinam catholicam.*

Quid de actibus sine habitu infuso eliciendis ? Cf. thes. 24.

Probatur.

103. — 1ª pars et 3ª ;

1) *Ex documentis Eccles.* Hae partes verae sunt, si gratia actualis eadem asseratur, in documentis, necessaria indiscriminatim omnibus ad omnes actus salutares, nulla distinctione facta statuum hominum vel conditionis actuum, sed habita sola ratione actus salutaris ; atqui ita est, ergo...

Prob. min.

Arausic. II can. 7 et 9, B. 180 (150) sq ;

can. 10, B. 183 (153) : hic certo agitur de gratia actuali ; nam adjutorium Dei quod etiam sanctis semper est implorandam, est adjutorium quod sancti non habent ; ergo non est gratia sanctificans.

Trident. VI, cap. 16, B. 809 (692) « quae virtus bona eorum (justificatorum) opera semper antecedit et comitatur... »

« Virtutem bonam appellant (Patres) auxilia specialia quibus Deus propter Christi merita praevenit, comitatur et subsequitur justos, ut incipere et prosequi possint bona opera et in eis perseverare. » (Vega op. c. l 15 c. 1).

Ecclesia omnes, etiam justos docet orare : « Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur ».

Cf. S. Hieron. *Dial. cont. Pelag.* c. 1 n. 5 M. 23, 501.

2) *Ratio theol.* « Omnis actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se cogitationem et affectionem supernaturalem circa objectum in quod afficitur. At cogitatio et affectio supernaturalis, praeveniens necessario actum salutarem, est gratia auxilians actualis... » (Ripalda D. 106 s. 3 n. 26).

Ad maj. Nulla facultas transit in actum sine aliqua excitatione ; porro excitatio debet esse facultati proportionata ; si ergo facultas supernaturalis est, etiam excitatio debet esse supernaturalis.

N B. Argumenta allata valent tum pro justis, tum pro peccatoribus fidelibus.

104. — 2ª pars.

1) Nullus actus supernaturalis fit sine gratia actuali supernaturali ; (Cf. thes. 6) ; atqui gratia illa, est gratia efficax ; est enim gratia quae obtinet effectum.

2) Nullus actus naturaliter bonus fit sine cogitatione congrua (Cf. thes. 13) ; ergo, a pari, nullus actus supernat. fit sine gratia excitante supernaturali.

Thes. X. — 1) Etiam in statu naturae integrae necessaria fuit ad omnes actus salutares gratia actualis ; 2) quae fuit tum illustrationis, tum inspirationis immediatae ad primam volitionem bonam, 3) imo probabiliter ad sequentes quoque volitiones.

Cf. Billot, p. 32-36 ; Wirceb. n. 271. sq. ; ; Palmieri, *Appendix post thes. 29* ; Steph. Dechamps l. 3 D. 3 c. 15,sq. ; A. Zaccharia, *Thesaur. theol.* t. 5, opusc. 7, c. 5 ; Pesch.n. 109.

105. — St. Q. Thesis *probabilis est* quoad tres partes.

Pars 1ª, contra Bellarm. *De gratia primis hominis* c. 4 ;
Becan. *De Angelis* c. 2 q. 5.

pars 2ª, contra Tricassin. apud Palmieri p. 249.

pars 3ª, contra Dechamps, Wirceb. Zaccharia l. c.

Probationem accipe ex thesi praecedenti, quae videtur valere pro omni statu.

Vide doctrinam Sⁱ Augustini :

De corrept. et gratia c. 11 n. 32 M. 44, 536.
Epist. 186 ad Paulinum, c. 11 n. 37 M. 33, 830 (Cf. Arausic. can. 19.).
De civit. Dei l. 14 c. 27 M. 41, 535 ; l. 12 c. 7 M. 41, 356 sq.
De nat. et gratia c. 48 n. 56 M. 44, 274 (lege 45-51).
De genes. ad litt. l. 8 c. 10-12 M. 34, 380-83.

Cf. S. Prosper, *Contra collat.* c. 9 n. 3 M. 51, 257.

SECT. II. DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTUS MORALITER BONOS

Art. I. Negative : quaenam gratia non requiratur

Thes. XI. — Potest homo lapsus agere honeste quin requiratur sive gratia sanctificans aut caritas, sive fides.

106. — St. Q. Opus honestum intelligimus opus per solas naturae vires praestitum, regulae morum conforme.

Errores refutandi multi sunt.

1) *Huss* : peccatum manens in operante inficit omnia opera ejus. Cf. prop. 16 B. 642 (537).

2) *Novatores* ; Cf. n. 37.

3) *Baiani et Jansenistae ;* Cf. n. 47, 49.

4) *Gregorius Ariminensis* O. S. Aug († 1358) : Baianis et Lutheranis consentit, quatenus docet omnia opera infidelium esse peccata. Ab ipsis dissentit in definitione infidelis : infidelis est ille tantum qui verum Deum non cognoscit : cujus opera omnia sunt peccata quia opus, ut sit honestum, explicite in Deum referri debet.

Cf. *In II Sent.* D. 39 q. 1 ; Ernst : *Die Werke und Tugenden der Ungläubigen* p. 65-70.

Eamdem sententiam tenet *Gaspar Casalius* O. S. Aug. († 1587), in opere *De quadripartita justitia.* Cf. Noris, *Vind. August.* c. 3 § 4 M. 47, 630.

7) *Augustinienses* : ad bonitatem actus exigunt ut a caritate saltem *imperetur*, et sic ab illa procedat mediate saltem, scil. ut actuali aut virtuali intentione referatur ad Deum propter se dilectum, qua deficiente opus erit quidem bonum in se, sed non ex parte operantis, qui venialiter saltem peccabit peccato omissionis. Fidem et caritatem requirunt supernaturalem. Cf. Wirceb. VIII n. 299 ; Berti, *de Discipl. theol.* XVIII cap. 3. Ernst, *Werke und Tugenden*, p. 70-78.

6) *Catharinus (in cap. 3 Genes. ad verba « Adam ubi es ? »)* actus non potest esse moraliter bonus nisi ab habitu virtutis procedat, et in Deum super omnia dilectum ab operante referatur, vel actu vel virtute. Hinc, existens in peccato mortali nequit operari honeste. Cf. Suar. *De Gratia* l. 1 c. 1 n. 4 et 20.

Cf. quae dicta sunt

a) In tractatu de Statibus, de sequelis peccati originalis ;

b) In tractatu de Virtutibus, de necessitate caritatis.

Fidem adversarii intelligunt proprie dictam, supernaturalem ; imo plerique exigunt fidem quae per charitatem operatur.

Praescindimus nunc a quaestione utrum aliqua gratia requiratur ut opus honestum fieri possit (Cf. thes. 13). Neque quaestio est utrum infideles de facto non peccent in omni opere ; sed utrum *possint* non peccare ?

Probatur.

107. — 1ª pars : Non requiritur gratia sanctificans aut caritas : hinc non omnia opera peccatorum sunt peccata.

I) *Ex auth. Eccl. documentis.*

1) Huss prop. 16, B. 642 (537). Dantur ergo opera media, sc. nec virtuosa (i. e. ex gratia sanct. et caritate), nec vitiosa.

2) Trident. contra Novatores. VI. can. 7, B. 817 (699) Cf. cap. 5, B 757 (679).

Hinc, *de fide est* posse ante justificationem exerceri, saltem cum auxilio gratiae, aliquos actus supernaturaliter bonos, et omnia peccatoris opera

non esse peccata. (Concil. respicit praecipue actus ad justificationem disponentes). Cf. XIV cap. 4, B. 898 (778), can. 5, B. 915 (793).

Atqui, ut non peccetur, non requiritur bonitas actus supernaturalis ;

Ergo *theol. certum est* posse fieri a peccatore aliqua opera moraliter bona.

3) Eamdem doctrinam habes in aliis documentis :

Baius prop. 35-40, B. 1035 (915) s.

Alex. VIII prop. 7-10, B. 1297 (1164) s. (Cf. Le Bachelet *Alex. VIII* DTC 754 sq.).

Quesnel prop. 38, 45, 59, B. 1388 (1353) s.

Synod. Pistor. prop. 23, 24, B. 1523 (1386) s.

108. — *II. Patres.*

S. Hieronym. *In epist. ad Gal.* c. 1, 15 M. 26, 326.

S. Gregor. Nazianz. *Oratio* 18 n. 6 M. 35, 992.

S. Aug. *De spiritu et litt.* c. 27, 48 M. 44, 229.

De tempore serm. 349 n. 1 M. 38, 1529. Cf. Schol. n. 112.

III. Script. 1) Deus ipse hortatur peccatores ad orandum, poenitendum et ad alia opera quibus ad justificationem disponantur.

Cf. Eccli. XXI, 1 ; Ezech. XVIII, 30 ; Rom. II, 4.

2) ea opera laudat et remunerat.

Cf. III Reg. XXXVIII ; II Paralip. XXXIII. 11 s. ; Luc. XVIII, 13.

IV. Ratione theol.

1) Ex adversariorum doctrina sequitur :

vel Deum peccatori non dare gratiam nisi ad actum caritatis ;

vel Deum gratia sua peccatorem excitare ad peccandum.

2) Adversarii supponunt falsa :

a) *Lutherani et Baiani :* naturam per peccatum originale esse funditus corruptam.

b) *Catharinus :* omnem actum debere referri ad Deum per caritatem.

c) *Augustinienses :* omnem actum a caritate debere saltem imperari.

Contra Augustinienses thesis ponitur ut *certa,* quia certum est imperium caritatis non requiri ad actus honestatem.

109. — 2[1] pars : Neque requiritur fides : hinc non omnia opera infidelium sunt peccata.

I. *Document. Eccl.*

Baius prop. 25, B. 1025 (905) (Cf. Le Bachelet *Baius* 83-86, *Alex. VIII* prop. 8, 11, B. 1298 (1165) s. Quesnel prop. 48, B. 1398 (1263).

Damnatur hic doctrina in sensu quem Baius et alii intendunt ; proinde dicenda est *erronea* quatenus derivatur, consecutione necessaria, e doctrina haeretica liberi arbitrii intrinsecus corrupti et ex distinctione falsa, in haeresim ducente [Cf. Pistor. 23, B. 1523 (1324)] de duplici amore.

Hinc doctrina nostra,

quatenus negat omnia opera infidelium necessario esse peccata : *theol. certa.*

quatenus asserit infidelem posse quaedam opera facere moraliter bona, est *certa,* tum quia probabilius non dantur actus indifferentes ;

tum quia, etiam si darentur, omnino improbabile est Pontifices id voluisse significare.

110. — II. *Patres.*

S. Aug. *De spirit. et litt.* c. 28 n. 48 M. 44, 230. — Cf. Schol. n. 111.

S. Hieron. *Epist. ad Titum* 1, 12 s. M. 26, 571 sq.

Auctor *Vitae S. Syncleticae* (inter opera spuria S. Athanasii M. 28, 1554 n. 108).

S. Hieronym. *Ad Galat.*, 1, 15 M. 24, 326.

S. Gregor Nazianz. *Orat.* 18 n. 6 M. 35, 992.

S. Basilius, *Homil.* 9 n. 4 M. 29, 196.

III. *Scriptura.*

1) Docet Christus etiam inter ethnicos esse aliquam caritatem fraternam : Mat. V, 46.

2) Rom. I, 20 ; II, 15 : ergo sine fide, saltem aliqua legis naturalis praecepta servari possunt. Cf. Prat. I p. 270, 271 ; Pesch. V n. 139-141.

IV. *Ration. theol.*

1) Infideles tenentur servare legem naturae ; ergo possunt, et in illa implenda non peccant. Quod argumentum valet etiam in statu naturae lapsae, siquidem peccatum originale integra reliquit naturalia.

2) Qui agit secundum dictamen conscientiae non culpabiliter erroneum non peccat ; atqui etiam infidelis possent..., ergo.

N. B. Conscientia gentilium conspirat in multis cum dictamine conscientiae christianae.

3) Status infidelitatis per se non est circumstantia actus inhonesta (formaliter) : non semper et necessario infidelis proponit sibi finem infidelitatis suae.

111. — Scholion. — Doctrina S. Augustini de peccatorum et infidelium operibus.

Cf. Suarez, *De gratia* l. 1 c. 5, 7 ; Wirceb. n. 306 ssq. Gutberlet, *Dogmatik* VIII § 413 ; Ernst : *Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin* ; Id. *Über die Notwendigkeit der guten Meinung* p. 132 162 ; Le Bachelet *Baius* DTC 86 ; Tixeront II p. 186 s. Pesch n. 34, 35, 136, 137 ; Hurter n. 55-57 ; Portalié *St. Augustin* DTC 2400 s. 2432 s. Mausbach II p. 260 ssq. ; Capéran p. 312, 397 ; Berti, *De theol. discipl.* l. 18 c. 3 ; Jansenius : *Augustinus* II l. 4 c. 1 ; Ripalda, *Cont. Baium* D. 22, s. 17.

A. De necessitate fidei ad honeste agendum.

I. *Certo docet S. Augustinus sine fide dari quaedam opera honesta.*

Cf. *De tempore, serm.* 349 n. 1 M. 39, 1529.

De civit. Dei l. 5 c. 15 M. 41, 160.

Epist. 144 n. 2 M. 33 591.
138 n. 17 M. 33, 533.
In Joan. tract. 44 n. 13 M. 35, 1718.
De Spirit. et litt. l. 1 n. 48, M. 44, 229, 230.

II. *Difficultatem tamen faciunt textus non pauci.*
Cf. *De Nupt. et concup.* c. 4 et 5 M. 44, 415, 416.
Cont. Jul. c. 3 ib. 745 ssq.
n. 30 ib. 753 sq.
etc. etc.

III. *Difficultas solvitur.*
1) Docet August. opera infidelium saepius esse mala ex prava intentione.
De Spirit. et litt. l. 1 n. 48 M. 44, 229, 230.
Opus imperf. n. 83 M. 45, 1104. (Cf. Arausic. can. 17)
2) Sensu latiori peccata vocat opera sterilia ad salutem. (Cf. Scripando, can. 7, de justificatione).
Cont. Jul. l. 4 c. 3 n. 23 M. 44, 750. Cf. n. 33 col. 755.
Et recte quidem, quatenus :
a) haec opera sunt difformia a lege divina quae unicum statuit finem, scil. supernaturalem.
b) reparatio peccati orginalis incipit a fide quae est humanae salutis initium. Cf. *Ad simplic.* l. 1 q. 2 M. 40, 111.
c) sunt manifestatio peccati originalis.
d) saepius etiam status infidelitatis est poena peccatorum personalium (Cf. Facienti quod in se est... Thes. 19), ideoque opera mere honesta peccata vocantur quasi in causa.

112. — B. De necessitate charitatis.
I. *Textus difficiliores.*
De Trin. IX c. 7, 8 M. 42, 967.
Enchir. n. 117 M. 40, 286 sq.
De gratia et lib. arb. c. 18 n. 37 M. 44, 903.
De gratia Christi c. 26 n. 27 M. 44, 374 (attende ad phrasim « omnino boni nihil sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam... »)
II. *Difficultas solvitur.*
1) Quod non est ex charitate supernaturali, peccatum est sensu latiori. Cf. A. III.
2) Charitatem vocat Augustinus etiam omnem amorem honestum (contra Suarez *De Gr.* I c. 5 n. 11, 13).
Cont. duas epist. Pelag. l. 2 n. 21 M. 44, 586.
De dono perseverant., n. 41 M. 45, 1018.
Cf. *Portalié*, col. 2436 ; *Tixeront*, p. 486.

Thes. XII — 1) **Imo potest homo lapsus agere quaedam honeste, 2) atque adeo amare Deum super omnia amore affectivo, absque ulla gratia quae adjiciat vires.**

113. — **St. Q.** 1) **Duplex occurrit difficultas** in quaestione de hominis lapsi potentia ad honeste agendum :

a) Patres, praesertim Augustinus, et quaedam concilia, gratiam videntur exigere *ad omne opus moraliter bonum.* Cf. v. g. Synod. Diosp. apud August. *Ep. 186 (106) ad Paulinum* c. 9 n. 32, 33. M. 33, 828. Carthagin. (418) apud Prosper. *Contra Collat.* cap. 5 n. 3. M. 51, 227 C. *Indic. de gratia* c. 7, B. 133 (91). Arausic. II can. 9, 11, 20, 22, 25. B. 182 (152) s. Textus Augustini vide infra.

Qui modus loquendi non videtur diversus a modo loquendi Baii, Cf. v. g. prop. 27. B. 1027 (907).

b) *Vix conciliantur haec duo asserta catholica* :

{ Homo habet vires quae sufficiant ad non peccandum.
{ Indiget gratia ad servandam legem naturae.

Quae duplex difficultas solutionem habebit ex hac thesi et sequentibus.

114. — 2) **Adversarii** primae partis.

a) Novatores, Baiani, etc. quos rejicimus thes. praecedenti.

b) Gratiam quae adjiciat vires exigunt :

Gregorius Ariminensis II D. 28 q. 1 const. 1 et 3. (Cf. Suarez l. 1 c. 9) ; Castro et quidam alii, Cf. Suar. c. 10.

Non adversatur thesi nostrae *Ripalda* (*De Ente supernat.* D. 20) asserens in praesenti Providentia *de facto* nullum fieri actum ethice bonum sine gratia supernaturali, ideoque nullum dari actum qui ethice tantum bonus sit. Concedit enim hominem lapsum habere vires ad actus ethice bonos.

Haec prima pars datur ut *certa.*

115. — 3) In secunda parte explicite loquimur de amore Dei super omnia, quia hic actus nobilissimus est, ideoque posset requirere vires speciales. — Porro duplex amor Dei distinguendus : amor Dei ut est auctor naturae et finis naturalis ; amor Dei ut est auctor gratiae et finis supernaturalis. Quae distinctio a catholicis admittenda est ex damnatione Baii prop. 34 et 36. B. 1034 (914) sq.

Quaestio est evidenter de solo amore naturali, qui duplex est :

a) **benevolentiae** : diligitur Deus qua et quia bonus *in se.*

b) **concupiscentiae** : qua bonus *nobis.*

Uterque est vel affectivus tantum, vel affectivus simul et effectivus.

effectivus importat mandatorum Dei observantiam per tempus sat longum ; de hoc sermo erit in thesi 14ª.

affectivus, de quo solo in hc thesi gitur, includit duo :

a) appreciationem Dei super omnia : Deus amatur tamquam bonum quod in majori pretio et aestimatione habetur quam reliqua. Cf. Suar. I c. 31 n. 10 et 14.

b) propositum (saltem virtuale et implicitum), absolutum ex parte proponentis, licet forte conditionatum ex parte auxilii et Dei, exsequendi praecepta graviter obligantia. (Cf. Suar. I c. 34 n. 19-22 ; Wirceb. n. 314 et 316 ad *nec dicas* 5 et 6).

Quaestio est de *potentia morali* : physicam catholici communiter concedunt.

Potentiam moralem ad talem actum amoris *negant* : Bellarmin. *De gratia et lib. arb.* VI c. 7 ; Suar. *De gratia* l. 1 c. 33 c. 34 n. 17 ; Schiffini, n. 99 ad object. 4am.

affirmant : Molina, *Concord.* p. 14 a. 13 D. 14 membr. 3 (p. 66 ssq.); Cajet. II. II p. 171 a. 2 ; Banez, II. II p. 24 a. 2 ; Soto, *De nat. et gratia* l. 1 c. 21. Wirceb. n. 314-316 ; Pesch, n. 128 ss. etc. (Cf. Valensin « *Immanence* » DA. 603).

Datur ut *probabilior.*

116. — Probatur thesis.

1a pars : Potest homo agere honeste absque ulla gratia quae adjiciat vires.

1) *Docum. Eccl. authentica* docent hominem habere potestatem plenam non peccandi.

Baius prop. 27, 28, 65. B. 1027 (907) s.

Quesnel prop. 39-42. B. 1389 (1254) s.

2) *Patres ;* vide quae dicta sunt in schol. praecedenti, et quae dicentur in thes. 13 et 14.

3) *Script.* non praebet efficax argumentum ; citantur tamen Rom. I, 20 ; II, 14. 15.

4) *Theologi,* paucissimis exceptis, nobiscum tenent. Cf. Pesch n. 124.

De sententia Si Thomae disputatur. Cf. I. II p. 109 a. 2.

5) *Rat. theol.*

a) Natura pura posset facere quaedam ethice bona sine gratia ; atqui natura lapsa non differt a natura pura nisi ut homo spoliatus a nudo ; ergo...

b) Voluntas libera est, ejus objectum formale est bonum, ergo saltem quaedam opera bona facere potest ex viribus suis.

N. B. Multa naturaliter honesta faciliora sunt quam contraria inhonesta ; sic v. g. facilius est aliquando dicere verum quam semper mentiri.

117. — 2a pars : Imo amare Deum super omnia.

1) Inter Deum, naturali cognitione praesentatum ut summum bonum, et voluntatem adest proportio objecti et potentiae.

2) Amor Dei affectivus super omnia praecipitur lege naturali ; ergo vires naturales sufficiunt : secus *exigerentur gratuitae !*

3) Posset natura pura (Contra Suar. l. 1 c. 32 n. 2 ; c. 36 n. 2) ; ergo potest et natura lapsa.

Art. 2. Positive : Quaenam gratia requiratur

Thes. XIII. — 1) Attamen nullum homo elicit actum honestum sine speciali Dei beneficio, 2) quod licet possit esse naturale etiam quoad modum, unice a libera Dei voluntate pendet ideoque jure meritoque gratia vocatur.

118. — St. Q. Prima pars theseos non facit difficultatem : enuntiat *doctrinam communem* theologorum.

Cf. Suarez, *De gratia* l. 1 c. 12 n. 4-21.

Secunda pars, cum Vasquezio (I. II. D. 140), Portalié et aliis asserit, *contra Suarez et alios,* beneficium hoc speciale recte vocari gratiam, ita ut verum sit hominem nullum facere actum moraliter bonum sine gratia. Quae doctrina nobis videtur *probabilior* ex argumentis mox afferendis.

Quid sit supernaturale quoad substantiam et quoad modum, Cf. Prolegom. n. 54.

Licet possit esse naturale etiam quoad modum : affirmamus ergo dari quaedam entia, quosdam effectus, qui de facto ponuntur ex virtute connaturali causarum creatarum, et tamen sunt **positive indebiti,** ideoque, ex hoc titulo, recte vocantur gratia, etsi minus stricte quam dona praeternaturalia vel supernaturalia. Horum donorum naturalium, indebitorum, quaedam jam indicavimus thesi 2ª n. 60. Hic speciatim agitur de dono quod a Vasquezio vocatur **cogitatio congrua.**

119. — Cogitatio congrua idem sonat ac cogitatio efficax, i. e. cogitatio quae de facto obtinet effectum. Datur congrue, i. e. in iis circumstantiis in quibus libere consentit voluntas.

in se spectata igitur consistit in praesentatione congrua boni, et qua talis a Deo per scientiam mediam cognoscitur.

comparata cum cogitatione non congrua, non est necessario melior, potest esse aequalis vel etiam inferior. Sic v. g. cogitatio matris in quibusdam circumstantiis magis me movebit quam cogitatio Christi in cruce morientis.

Neque necessario diversa est *re* a cogitatione alterius, cujus cogitatio non est congrua : eadem omnino cogitatio movebit me ad actum virtutis, alterum ad actum peccati.

in causis, mere naturalis est neque ullum interventum Dei extraordinarium requirit.

in effectu, non dat vires, neque sanat impotentiam antecedentem sed consequentem tantum, i. e. impotentiam quae usum libertatis a Deo praevisum consequitur. Cf. thes. 14 n. 135.

Utrum cogitatio congrua *sit gratia Christi,* vide in Schol. n. 133.

N. B. Defendimus cum Vasquezio cogitationem congruam esse gratiam, nullo modo autem cum ipso tenemus ante justificationem non dari gratiam supernaturalem.

Probatur thesis.

120. — 1ª pars : Nullum homo elicit actum honestum sine speciali Dei beneficio.

1) Ex effectu bono et volito.

Omnis actus bonus, qui reapse fit, includit specialem Providentiam Dei amorose praeparantis cogitationem praevisam efficacem (congruam).

Atqui haec amorosa Providentia effective est beneficium speciale ; ergo...

Ad. maj. Nullus actus bonus evenit casu, sed Deus, sapientia et bonitas infinita, vult et amat — ergo dat — omnem actum bonum.

Ad min.

a) *est beneficium* (Cf. Suarez l. 1 c. 12. n. 16).

quia bonus in se, et utilis agenti etiam in ordine ad salutem, licet nec sit meritorius neque dispositio positiva ad gratiam supernaturalem (Cf. thes. 18);

tamen est dispositio remota removens prohibens saltem improprie dictum, (Cf. n. 170), scil. peccatum : nam, si multis v.g. gratia fidei non datur propter peccata, beneficium est, etiam in ordine salutis, peccatum non committere.

b) *et quidem beneficium speciale :*

etenim, α. melior est etsi non semper entitative, tamen semper, affectu Dei et effectu ;

β. est distinctum a creatione, a qua separabile est.

121. — 2) Ex comparatione cum gratia efficaci supernaturali.

Gratia efficax supernaturalis beneficium est indebitum tum. quia supernaturalis, tum *quia efficax* ; cf. thes. 34. n. 268.

Ergo et cogitatio congrua, *quia efficax,* est Dei beneficium speciale.

3) Ex auctoritate theologorum : sententia nostra communis est.

122. — 2ª Pars : Quod beneficium jure meritoque gratia vocatur.

1) **Concilia et Patres** docent nullum prorsus opus bonum fieri sine gratia. Atqui loquuntur etiam de omni opere ethice bono ; ergo...

Prob. maj.

S. August. *In Joann.* tract. 5 n. 1 M. 35, 414.
Sermo 156 n. 152 M. 36, 856.
Opus imperf. VI, 13 ; V, 28, 61 ; III, 118-120 M. 45, 1524. 1467. 1497. 1279 sq.
De Nupt. et concup. l. 2, III, 8 M. 44, 441.
De perf. just. 4, 9 M. 44, 296.
Cont. duas epist. Pelag. 3, 24 ; 5, 11 M. 44, 607. 617.
De corrept. et gratia, 11, 31 ; 12, 37 M. 44, 935, 939.

De libero arb. l. 3, c. 18 n. 52 M. 32, 1296.
De pecc. merit. 2, 7 M. 44, 155.
Cf. Tixeront II p. 485. Hurter n. 63, 64.
S. Hieronymus, *Dial. I adv. Pelag. n. 3, 4* M. 25, 500 (Cf. Palmieri p. 116).
Concil. Diospolit. (Lydda, 415) 7 et 11 M. 33, 828 (Cf. Mansi 4, 313).
Arausic. II can. 9, 14, 16, 20, 22, 23 B. 182 (152) ssq.
Innocent. I Epist. ad Concil. Milevit. n. 3, 4. M. 33,785.
ad Concil. Carthag. M. 33,781,82.
Indic. de gratia c. 7, 9. B. 133 (91) sq.

123. — Prob. min. (Cf. Wirceb. n. 313, Inst. 1).
a) Universalissime concilia et Patres affirmant nullum opus bonum fieri sine gratia, et omne opus sine gratia factum, esse peccatum.
b) August.
α) explicite gratiam exigit etiam ad opera mere honesta.
Epist. 144, 2. M. 33, 591.
De gratia Christi c. 24 n. 25 M. 44, 372.
Cont. Jul. l. 4 c. 3 n. 16 M. 44, 744 sq.
Sermo 99, n. 6 M. 38, 598.
De praedestinatione Sanct. c. 14 n. 29 M. 44, 981.
β) distinguit dona extraneorum et filiorum.
De patientia c. 27 n. 28. M 40, 624.
Epist. 144 n. 2 M. 33, 591 ; *Ep. 177*, n. 7. col. 767 sq.
γ) et dona naturalia gratiam vocat :
De praedest. SS^orum l. c.
Epist. 144, 2. M. 33, 591.
Epist. 177. M. 33, 767. 768.
Cf. Portalié, *S. August.* DTC. 2386.

124. — c) **ad interpretationem canonis 22 Arausicani aliorumque documentorum contra Pelagianos, nota :** (Cf. de Semipelag. n. 31)
α) Negant universaliter ullum opus bonum fieri posse sine gratia ; atqui negativa universalis negat pro omni ordine.
β) peccatum, qua peccatum, est ordinis naturalis.
(Non negamus tamen Augustinum quandoque vocare peccatum etiam opus mere naturale, v. g. *Cont. Jul.* l. 4 n. 33. M. 44, 755).
γ) falsum est, cum Pelagianis quaestionem fuisse tantum de necessitate gratiae ad opus supernaturale : etenim Pelagiani omnem omnino dependentiam actualem voluntatis humanae a Deo negabant.
Vide de Pelagianismo n. 23, 24. Cf. Mausbach, *Ethik des hl. Aug. II* p. 105 sq. Cf. etiam Ernst, *Werke und Tugenden. . .* p. 233 ; Portalié l. c.

125. — d) Ipsi adversarii implicite minorem nostram admittunt,
α) quatenus nobiscum tenent thesim secundam, et
β) ex documentis allatis probant et ipsi necessitatem gratiae ad servandam legem naturalem (thes. 14) ; atqui haec documenta :

vel loquuntur tantum de actibus supernaturalibus, tunc nihil probant quoad observationem legis *mere honestam ;*

vel exigunt gratiam etiam ad observationem mere honestam legis naturalis, et tunc arbitrarie omnino adversarii restringunt illorum significationem ad observationem *totius legis :* documenta enim clare et explicite gratiam exigunt *ad omnes et singulos actus.*

126. — 2) **Theologi multi**

a) et auxilia ordinis naturalis gratiam vocant.

b) explicite docent thesim nostram : vide auctores laudatos thes. 2a n. 62.

c) clare docent in statu naturae purae necessarium fuisse auxilium gratiae naturalis.

Cf. Suarez, *De gratia* l. 1 c. 28 n. 9 sq.
de Rubeis p. 305, 306. (Citat Salmanticenses) ;
Wirceb. VII n. 171, Inst. 5 et 6 ;
Palmieri, *De Deo creante* p. 404 ;
Schiffini, *De gratia* n. 99 Obj. 4.

127. — 3) **Ex natura rei.**

Beneficium speciale, positive indebitum, utile saltem remote ad salutem, potest vocari gratia.

Atqui talis est cogitatio congrua ; ergo...

Prob. min.

a) est beneficium speciale : probatum est in prima parte.

b) positive indebitum.

α) cogitatio *efficax,* qua talis, *mihi hic et nunc* non debetur.

Cf. Turrianus, opusc. 6 dub. 5.

S. August. *De dono persever.* c. 19 n. 50 M. 45, 1025.

N. B. auxilium naturale *sufficiens* debitum est, ideoque non est gratia.

β) imo neque debetur *speciei.* Etenim, ut speciem Deus creare possit et conservare, sufficit ut det auxilia sufficientia, quibus *possit* creatura agere honeste :

Eodem modo gratia efficax supernaturalis, etiam qua efficax, non tantum qua elevans, indebita est speciei elevatae.

c) utile saltem remote ad salutem. Cf. Schol. n. 133 et thes. 18.

128. — **Diffic.** 1) *Ergo Deus potuisset creare ordinem in quo omnes homines ne unum quidem actum honestum facerent ?*

Resp. Potuisset, sane, salva sua justitia ; salva etiam sua sanctitate (homo libere peccat). Utrum salva sua bonitate ? Videtur etiam affirmandum. In tali ordine, utique, non fulgeret Dei bonitas, fulgeret vero summum ejus dominium summaque independentia.

129. — 2) Si gratia quam Patres et Concilia exigunt universaliter, est gratia naturalis, *jam ex illis non poteris probare collationem ullius gratiae supernaturalis ante justificationem,* quod vult Vasquezius.

Resp. a) Fatendum est formulas Patrum et Conciliorum quoad distinctionem ordinis naturalis et supernaturalis saepius esse obscuras.

b) Attamen ex contextu et scopo, etsi non semper ex ipsis verbis, actus salutaris ab actu mere honesto distinguitur. Cf. thes. 6, II.

c) Eamdem difficultatem habent omnes theologi qui non exigunt gratiam stricte supernaturalem ad legem naturalem servandam.

3) Thesis nostra videtur docere propositionem 27^am^ Baii « *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet* ».

Resp. a) Baius loquitur de gratia salutari, quam catholici dicunt supernaturalem.

b) Juxta nos homo sine gratia etiam naturali *valet* honeste agere, sed de facto honeste non aget.

4) *Valde nos extenuamus vires naturae.*

Resp. a) Extenuamus verbis, non re : cogitatio congrua *supponit defectum non potentiae, sed voluntatis in actu secundo.* Dicimus : potest, sed non vult.

b) Eodem modo in ordine supernaturali gratia *efficax* qua talis extenuaret vires gratiae sufficientis.

5) Ridicula est potentia quae de facto nunquam aget.

Resp. Quae nunquam aget *defectu virtutis,* conc. ; *defectu voluntatis,* neg.

130. — 6) Si impossibile esset homini sine auxilio gratiae naturaliter honeste agere, hoc, aut ideo esset quia quilibet actus honestus superat vires physicas liberi arbitrii, aut repugnat quia nimia est difficultas moralis ; atqui neutrum ; ergo... » (Pesch n. 125).

Resp. Addo tertium : aut quia repugnat cogitationem *efficacem,* etiam naturalem, esse debitam.

7) Ex concessis cogitatio naturalis sufficiens debita est ideoque omnibus datur ;

Atqui moraliter impossibile est cogitationes vere sufficientes nunquam obtinere effectum. (Cf. Suar. c. 13 n. 6, 7)

Ergo saltem aliquando cogitatio congrua non est gratia.

Resp. a) Dist. maj. cogitatio *mere* sufficiens debita est, conc. — Dist. min. : si intrinsece repugnat cogitationem mere sufficientem aliquando obtinere effectum, neg.

b) Objectio eadem, si valeret, valeret etiam in ordine supernaturali, ideoque gratia qua efficax jam non esset gratuita, et gratia mere sufficiens aliquando esset efficax : quod ipsi adversarii negant.

8) Cogitatio congrua, utpote naturalis etiam quoad modum, est effectus causarum secundarum ; atqui talis effectus, ab ordine creationis de facto non separatus, nequit dici indebitus positive ; ergo...

Resp. Dist. maj. : est effectus causarum secundarum *ex necessitate intrinseca ordini creationis,* neg. ; *historice,* sbd. : *ita ut etiam sine illo omnia creationidebita adsint,* conc., *secus* neg.

131. — Coroll. 1) Thesis luculenter ostendit perfectam et omnimodam hominis a Deo dependentiam : « **nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum.** » (Arausic. can. 22 B. 195 [165]). Et revera :

ut *sit,* homo indiget creatione et conservatione ;

ut *agat,* indiget concursu ;

ut *agat honeste,* indiget concursu et gratia naturali ;

ut *agat salutariter,* indiget concursu et gratia supernaturali.

Sic omnis perfectio creata, cujuscumque sit ordinis,pendet a Deo, causa suprema et universali, in fieri et in esse.

132. — Coroll. 2) Scala confici potest donorum juxta juxta gradum gratuitatis.

Distinguantur :

dona indebita *negative tantum* (v. g. concursus) ; debentur omni individuo.

dona indebita *positive individuo, negative speciei* (v. g. habere duos oculos)

N. B. privatio horum donorum potest esse gratia pro *tali individuo.*

dona *positive indebita et individuo et speciei ;*

naturalia, v. g. cogitatio efficax : positive indebita *qua efficax.*

supernaturalia : positive indebita *qua supernaturalia.*

non tantum quando et quatenus efficax.

133. — **Scholion.** — **Cogitatio congrua est gratia Christi**, quia quaecumque etiam remote ordinantur ad finem supernaturalem, ex Christi meritis tribuuntur. « Si vero spectatur hoc auxilium secundum finem et directionem Dei, qui illud confert ut per illud amoveamus impedimenta salutis et dirigamus ad supernaturalia et ad salutem aeternam, sic recte numeratur inter auxilia specialia, provenientia ex praedestinatione vel supernaturali providentia, et consequenter ex meritis Christi : omne enim id quo dirigimur ad salutem aliquo modo ex Christi meritis pendet, nempe quatenus hic et nunc confertur... » Lessius *De gratia efficaci*, appendix ad cap. X n. 32.

Quomodo gratia naturalis sit remote utilis ad salutem, vide thes. 19 n. 170.

Thes. XIV. — Indiget quoque homo lapsus auxilio gratiae specialiori ut fiat, non quidem physice, sed moraliter, potens ad totam legem naturalem etiam quoad operis substantiam diu implendam. Quae impotentia est radicaliter antecedens et formaliter consequens.

134. — **St. Q.** 1) Exposuimus thesi 8ª quaenam sit gratia requisita ad perseverandum in justitia *supernaturali* : nunc inquirimus utrum et quaenam sit gratia qua valeamus perseverare in *honestate naturali.*

Difficultas solvenda jam indicata est in thesi praecedenti : Conciliari debent hae duae veritates : homo non necessario peccat, tamen ut observet legem naturae indiget gratia, i. e. dono indebito.

Agitur de observatione totius legis naturalis per tempus sat longum, quo occurrant plura gravia praecepta servanda.

Quoad operis substantiam servare, i. e. non salutariter, sed tantum naturaliter honeste. Cf. Baius prop. 61 B. 1061 (941).

Quid sit lex, lex naturalis vide in tract. de actibus humanis.

135. — 2) **Impotentia** potest esse vel physica, vel moralis, quae iterum multiplex distinguitur.

Impotentia physica est improportio facultatis cum actu ponendo : deficiunt vires physicae. *De fide est* hominem lapsum non laborare impotentia physica : contra Novatores, Baianos et Jansenistas, Cf. thes. 5 et 11.

Impotentia moralis est debilitas quaedam sese erigendi contra quasdam difficultates.

Distinguitur : **antecedens** determinationem voluntatis : opus in se ita difficile est ut de facto omnes peccaturi sint.

consequens determinationem voluntatis liberae, praevisama Deo. Causa hujus impotentiae est difficultas operis et determinatio liberi arbitrii quam Deus praevidit.

De hac loquimur in thesi.

Dicendum igitur : *ideo non potest homo servare legem, quia non vult* ;

non : ideo non observabit legem quia non potest illam servare.

Dicimus tamen hanc impotentiam moralem esse *radicaliter antecedentem*, i. e. radix nolitionis voluntatis est ipsa debilitas intellectus, volubilitas voluntatis, vehemens concupiscentia. Hanc impotentiam describit Augustinus, *De peccatorum meritis* c. 17 M. 44, 167. — Cf. Suar. l. 1, c. 12, n. 20, 21.

Quod homo lapsus aliquo modo moraliter impotens sit ad totam legem naturalem diu servandam, praescindendo ab explicatione nostra, datur ut *theol. cert.* contra *Pelagianos* et *Schell. (Katholische Dogmatik*, t. III, 1 p. 320).

136. — 3) **Quamnam gratiam requiramus ?**

a) *Non gratiam entitative supernaturalem*, neque ex lege Dei positiva, contra Ripaldam, *De ente supernat.* D. 20 et 114 S. 13. Cui ex parte consentiunt Wirceb. n. 313 (Cf. tamen n. 319, *nec dicas 3°* ad 2^{am} p.), Platel, *Synops.* n. 530.

Nullo modo tamen negamus, auxilium quod de facto praestatur, esse saepius entitative supernaturale. (Cf. Schol. n. 142).

b) *Neque gratiam supernaturalem quoad modum*, quia necessitas talis gratiae non probatur, neque de lege Dei positiva. Contra Suar. l. 1 c. 27 n. 11-13 ; Cf. c. 24 n. 20 ; Bellarm. *De gratia et lib. arb.* l. 5 c. 7 § observandum est 2° ; Mazzella n. 348. etc.

c) *Sed gratiam naturalem, specialiorem*, hoc sensu quod requiritur *series* gratiarum *efficacium*, i. e. gratiarum quae de facto obtinent effectum *quia dantur congrue*, non quia adjiciunt vires. Haec pars *probabilis*.

Probatur thesis.

137. — 1ª pars : nulla impotentia physica.

1) Vide documenta allata in thesi 5ª.

2) Ration. theol.

a) Potentia physica ad totam legem servandam nihil aliud est quam libertas plena vitandi peccatum formale.

Atqui talem potentiam homo lapsus habet ; nam :

α) nemo peccat in eo quod vitare non potest.

β) voluntas, indifferens active, a nullo objecto finito necessitatur.

b) Homo ad omnem actum distributive sumptum habet potentiam physicam completam ;

Atqui numquam habet totam legem collective, sed distributive tantum implendam.

c) Homo purus haberet talem potentiam ;

Ergo et homo lapsus.

138. — 2ª pars : adest impotentia moralis.

1) *Documenta Eccl.*

Coelest. I *Ad episc. Gall.* c. 6 B. 132 (90).

Innoc. I *Ad Concil. Carthag.* c. 5 M. 33. 781.

Epist. synod. conc. Carthag. ad Innoc. n. 2 M. 33. 760.

2) *Patres*, praesertim Augustinus, hanc impotentiam potius exaggerant.

3) *Rom.* VII. *14-25.* Cf. Prat. I p. 315-328 ; Van der Meersch n. 71, 72.

4) *Ration. theol.*

a) Fideles gratiam Dei implorant quae eos servet a peccato.

b) Rara est innocentia baptismalis, cum tot ac tantis gratiis. Videas gentilem corruptionem et lapsus fidelium.

c) Gratia requiritur ad omnem actum honestum : ergo gratia major ad servandam diu totam legem.

139. — 3ª pars : impotentia formaliter consequens, radicaliter antecedens.

Hinc, ratio impotentiae est partim actus difficultas, partim usus libertatis ; ita conciliatur impotentia servandi legem cum libertate humana et bonitate Dei. (Quaestio similis : ratio efficacitatis gratiae est partim Deus, partim ipsa libertas humana. Cf. thes. 34).

Probatur :

1) **impotentia formaliter consequens.**

a) *Ex potentia completa ad singulos actus ;*

Repugnat impotentia vitandi *tale* peccatum ;

Atqui impotentia vaga ad totam collectionem, si esset antecedens, *evaderet determinata ad unum actum particularem,* ideoque tale peccatum foret inevitabile ; ergo...

Ad min. qui nondum peccavit in observatione legis, debet peccare saltem in ultimo actu collectionis : tunc impotentia adest determinata ad talem actum particularem.

b) *Ita certum est talem hominem peccaturum* intra innumeros actus, sicut certum est ex multitudine hominum aliquem peccaturum.

Atqui hoc ultimum provenit ex impotentia consequente; ergo et primum.

2) **Impot. radicaliter antecedens.** Est evidens, siquidem ratio impotenitae consequentis est evidenter in homine peccante.

140. — **Coroll. 1.** Ex doctrina in thes. 12, 13, 14 proposita, sequitur :

I. Quoad tentationes vincendas (1).

1) Hominem nulla laborare impotentia antecedente, nisi radicaliter, quantumcumque gravis sit tentatio. Secus periret libertas et imputabilitas peccati, quia impotentia, ut videtur, foret determinata ad talem actum.

2) Hominem de facto nullam vincere tentationem, *neque levissimam*, sine gratia cogitationis congruae, quae eo major sit oportet quo gravior tentatio.

II. Quoad amorem naturalem Dei super omnia.

1) Amor effectivus, siquidem consistit in observatione legis naturalis, non habetur sine gratia specialiori de qua in thesi 14ª.

2) Amor affectivus, cum sit actus naturalis optimus, non elicitur sine gratia naturali magna.

141. — **Coroll. 2.** Thesis et corollaria probata, **valent non tantum pro natura lapsa, sed etiam pro natura pura.** Etenim a) post peccatum originale naturalia hominis integra manserunt, et b) argumenta exposita valent etiam pro natura pura.

Caeterum hanc sententiam admittunt theologi *satis communiter*. Cf. Suarez, *De gratia* l. 1 c. 28 n. 9-12. De Rubeis. *De peccato originali* p. 305 sq. Wirceb. VII n. 171 Inst. 5 et 6 ; Palmieri p. 404 ; etc.

142. — **Scholion.** — Valde probabile est omnem gratiam quae confertur **justis** ad observandam legem naturalem, **esse entitative supernaturalem,** quia Deus merito censetur dare semper tales gratias quae proportionem habeant cum fine attingendo.

Thes. XV. — **1) Homo lapsus nequit moraliter per longum tempus vitare omnia peccata venialia sine speciali Dei privilegio, 2) quod constat concessum fuisse B. Mariae Virgini, 3) et quidem *probabilius* illi soli.**

Cf. Suarez, *De gratia* l. 9, c. 8.

143. — **St. Q.** — 1) Impossibilitas vitandi omnia venialia *saltem minus deliberata* in tota vita : pro justo, *de fide defin.* ; pro omnibus, *fid. proxim.* ; — per longum tempus : *theol. cert.*

(1) *De tentationibus, cf.* Mgr Gay : *Vie et vertus chrétiennes t. I, n. VIII* ; Suarez, *De gratia* l. 1 c. 23 ; Ripalda D. 114 s. 18 ; Vasquez I. II D. 189; Molina, *Concord.* q. 14 a. 13 D. 19 ; Palmieri, thes. 20 ; Pesch n.156 sq.; Hurter II, n. 425-429 ; III, 47-49 ; Wirceb. VII n. 367 sq.; Van der Meersch n. 75 ; Knoll a Bulsano pars II s. 1 c. 3 art. 7 ; de Broglie,*Conférences de Sainte-Valère* 1880, 8e confér. (t. II p. 349-399) ; Gemelli *Non mœchaberis*, passim (cf. p. 140 sq.) ; Lévy *L'éducation rationnelle de la volonté* (passim) St. François de Sales, *Introd. à la vie dévote*, 4e partie ; Scaramelli, *Directorium asceticum*, t. II ; De Smedt : *Notre vie surnaturelle* t. II p. 379 sq. ; William James : *Précis de psychologie* ; Caulle, *La morale catholique et la pureté* (Bloud 1912).

Impot. moralis, non physica, *communis*, contra paucos. (Cf. Suar. l. 9 c. 8 n. 16)

Impot. moralis consequens non antecedens, *probabilius*.

Quibusnam donis constet privilegium hoc speciale ? (Cf. Suar. l. c. n. 11, 12). Dicimus nos : sufficit gratia naturalis, *sed specialissima* propter maximam difficultatem : Exigitur series continua cogitationum congruarum. — De facto autem B. Virginis privilegium fuit ordinis supernaturalis.

2) pars secunda non definitur in recto ; asserit vero Trident. hoc *tenere Ecclesiam.*

N.B. Thesis, adstruens privilegium speciale, refellit etiam errorem Pelagianorum qui proclamant summae perfectionis possibilitatem sine ulla gratia.

Probatur

144. — 1ª pars : Impossibilitas moralis vitandi peccata venialia.

1) *Document. Eccl.*

Carthagin. (418) can. 6-8 B. 106 (70) s.

Trident. VI cap. 11-12 B. 804 (686) sq. ; can. 23 B. 833 (715).

2) *Patres.* Doctrina clara praesertim cont. Pelag.

Cf. S. Aug. *De dono persev.* c. 2 n. 4 M. 45, 996 ;
De peccat. merit. II c. 16 n. 17 M. 44, 165. 167 ;
De nat. et gratia c. 35 n. 41 M. 44, 267 ;
Cont. duas ep. Pelag. l. 4 c. 10 n. 27 M. 44, 629.

S. Hieronym. *Dial. adv. Pelag.* II n. 38 M. 23, 568.

S. Leo M. *Sermo* 15 c. 1 M. 54, 174.

S. Cyprianus *de opere et eleemosynis*, n. 2.

S. Cyrill. Alex. *De Ador.* l. 15 M. 68, 992 sq.

3) *Script.* Jac. III, 2 « πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. »

Mat. VI, 12 « *et dimitte nobis debita nostra* » — « Justorum illa vox est et humilis et verax » Trident. IV c. 11 B. 804 (687).

4) *Ration. theol.*

Praeservatio a venialibus exigit seriem continuam et indefinitam cogitationum congruarum ; atqui talis series est privilegium altius ac praeservatio a mortalibus ; ergo...

Ad. maj Rationem et radicem hujus impotentiae indicat S. Thomas I. II p. 109 a. 8. — Revera, ut caveatur omnis consensus, etiam semideliberatus, necessaria est promptissima aversio liberae voluntatis ab iis omnibus quae naturalis inclinatio suggerit minus convenientia rationi.

145. — 2ª pars : Privilegium speciale B. M. Virginis.

1) *Trident.* l. c. can. 23 B. 833 (715).

N. B. Quidam concilii Patres voluissent poni, non « *tenet* », sed « *pie sentit* ». At concilium renuit. Cf. Hefner p. 352, not. 2.

2) *Patres.*

S. August. *De nat. et gratia,* n. 42. M. 44, 267.

Vide quae de maxima B. Virginis sanctitate attulimus in tractatu de Immaculato Conceptu.

3) *Script.* Cant. IV, 7 « *Tota pulchra* ». Luc. I, 28. « *gratia plena* ».

4) *Ratione theol.* B. V., Mater Dei, caruit fomite.

3ª pars : Sola Bª Virgo.

Haec est doctrina Sⁱ Augustini *(De nat. et gratia* l. c.) quam omnes fere Doctores sequuntur. Cf. Wirceb. n. 324.

De Sº Joseph disputant auctores :

Communius negant. Cf. Suarez, *De gratia* D. 8 s. 2 n. 7 ; Theoph. Raynaud, *Heterocl. spirit.* s. 3 punct. 6 n. 17 ed. 1665 t. 15 p. 297).

Affirmant Gerson, *Sermo de Nativ. B. M. Virg.* (ed. 1706, col. 1349, 1350).
Salmeron, *Comment. in hist. Evang.* t. 3 tract. 29 p. 226.
Canisius, *De Maria Deipara Virgine* l. 2 c. 13.
et inter recentiores P. Lépicier.

146.— Coroll. Ex dictis circa radicalem hominis impotentiam, in ordine tum naturali tum supernaturali, maxima apparet **necessitas orationis,** qua ontologica et omnimoda manifestatur creaturae rationalis dependentia a Deo etiam in ordine morali. Legem orationis universalem perbelle concepit Gennadius : « *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire ; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari ; nullum, nisi orantem, auxilium promereri* ». *(De eccl. dogm.* c. 56. M. 58, 995).

Vide argumentum ex utilitate orationis, Vasquez I-II D. 189 c. 11.

CAP. III. DE GRATIAE ACTUALIS NATURA

SECT. I. INSPECTA EJUS SUPERNATURALITATE

Thes. XVI. — Gratia ad actus salutares requisita est 1) donum distinctum a creatione, dans posse, non facilitatem, 2) supernaturale intrinsece, 3) et quidem entitative. 4) Quare et ipsi actus salutares supernaturales sunt intrinsece, 5) et quoad substantiam.

Cf. Suarez *De gr.* l. 2. c. 6. ss.; Ripalda D. 44 ; Palmieri thes. 25.

147.— St. Q. 1) Probatum est in thesi 6ª gratiam, ad omne opus salutare requisitam, esse supernaturalem. **Quae supernaturalitas nunc accuratius explicatur et probatur.** Argumentum exponendum non caret difficultate, quia in documentis character supernaturalis gratiae salutaris docetur valde implicite. Hinc mirum non est doctores catholicos in multas abire sententias.

2) *Actus salutaris* est actus bonus ad Visionem intuitivam positive conducens, sive meritorie, sive per modum impetrationis, praeparationis, dis-

positionis positivae (Cf. Trident. VI cap. 6 B 798 (680) ubi actus, quibus peccator, gratia excitatus et adjutus, libere movetur in Deum, dicuntur *dispositiones*; XIV cap. 4 B 898 (778) : contritione imperfecta, quae est Sp. Sancti impulsus, poenitens viam sibi ad justitiam parat...)

148. — 3) Distinguas actus supernaturales quoad modum, et quoad substantiam seu entitative.

a) **Quoad modum** : ipsa entitas actus manet intra ordinem naturae, sed vel *fit* modo qui superat naturae vires et exigentias, vel *in facto esse* afficitur modo aliquo naturae indebito.

Hinc, modus est vel intrinsecus, vel extrinsecus.

α) *modus extrinsecus*

vel quatenus actus salutares fiunt per efficientiam supernaturalem (sicut, v. g. coecus per miraculum sanatus videt, sed per virtutem indebitam)

Ita Cajet. Cf. Suarez l. 2. c. 6 n. 1

vel quatenus fiunt a persona habitibus supernaturalibus dignificata. Cf. Suar. l. 2 c. 7 n. 1-6

vel quatenus procedunt a cogitatione congrua cum ordinatione ad finem supernaturalem.

Ita Vasquez. I. II. D. 217 C. 6 n. 58-60.

β) *modus intrinsecus*, accidentaliter actui inhaerens, i. e. gradus quidam sive intensitatis, sive firmitatis, sive promptitudinis, sive delectabilitatis, sive durationis, etc.

Ita Durandus II D. 28 q. 1 et 2. III D. 23 q. 6 n. 8 ;
Paludanus ibid. q. 3 ; Gabriel ibid. q. 2 a. 1 ad fin. :
Capuolus I. D. 17 q. 1 (ratio meriti.)

b) **quoad substantiam, seu entitative,** i. e. ipsa entitas actus (gratiae) transcendit exigentias et vires naturae. — Ita plerique. Cf. Lugo, *De fide* D. 9 s. 2 ; Ripalda D. 44 et 105.

Defenditur thesis contra assertores supernaturalitatis mere extrinsecae ut *theol. cert.* ; contra defensores modi intrinseci ut *probabilior*. Hinc, partes 2ª et 4ª : *theol. cert.* ; 3ª et 5ª, *probabiliores* ; pars 1ª est *de fide*.

N. B. « Substantia actus » apud scholasticos saepe dicitur de ratione generica actus (v. g. actus *amoris*). Non hoc sensu hic vocem adhibemus.

Probatur

149. — 1ª pars : Est donum distinctum a creatione, dans posse, non facilitatem.

1) *Ex Docum. Eccl.*

Arausic. can. 7, B. 180 (150), loquens de omni actu salutari, exigit auxilium a) distinctum a creatione, b) dans posse, non facilitatem.

Prob.: per *naturae vigorem*, i. e. illum quem accepimus in creatione, *nihil* possumus. Quod directe definitur a Carthag.(418) can 5,B 105 (69) et a Trident. VI can. 2, 3, B. 812, 813 (694, 695).

2) *Est doctrina evidens S^i Augustini* contra Pelagianos ; ubique docet gratiam salutarem non esse donum creationis et dare posse, non facilius posse. Vide textus thes. 6a.

3) *Script.*

a) Joan. XV, 5 s. « *sine* **me** *nihil potestis facere.* »

Atqui **X^tus** non est donum creationis.

Ejus influxus absolute requiritur : *nihil* potestis.

b) Eph. II, 8-10 « *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est ut ne quis glorietur* ».

Atqui,si gratia daret tantum facilius posse,actus salutaris esset ex nobis.

4) *Ratio theol.* Visio intuitiva est stricte supernaturalis ; ergo distincta a dono creationis, et viribus creationis prorsus improportionata.

150. — 2a pars : Est donum intrinsece supernaturale.

1) **Directe** : Intrinsece supernaturalis est gratia quae dicitur : propria solis actibus salutaribus, influere in actum salutarem physice, esse ejusdem ordinis ac justitia et adoptio Filiorum, et ita gratuita ut nullo opere naturali mereri possit. Atqui hi quatuor characteres asseruntur in documentis ; ergo...

Ad maj. Sumantur hae proprietates collective : una vel altera forsan explicaretur etiam per supernaturalitatem extrinsecam, non vero omnes.

Ad. min. a) **Propria solis actibus salutaribus**.

α) Indic. de gratia c. 12, B. 141 (96) : gratia requiritur ad opera quae fiunt ab initio fidei. Cf. Arausic. II, 5, B. 178 (148)

β) Patres. Cf. S. Aug. *De patientia* c. 27 n. 28 M. 40, 624 ; *Epist. 144* n. 2 M. 33, 591 ; *Epist. 177* n. 7 M. 33, 767 sq. Distinguunt gratiam Filiorum (christianorum) et extraneorum.

b) **Influxus physicus**, quia agitur de actu *physico* ponendo et gratia dat *posse simpliciter*, ergo intrinsece supernaturalis, nam :

α) nullus influxus ordinis naturalis influit physice in actum salutarem. *Non concursus*, qui inservit operi bono et malo ; atqui influxus gratiae est tantum ad opus bonum. — *Non cogitatio congrua :* ejus influxus moralis est.

β) influxus gratiae est : *influxus Christi vitis*, qui supernat. est (Joan. XV.) ; *infusio Spiritus Sancti*, Cf. Arausic. 6-8 B. 179 (149) s.

c) **est ejusdem ordinis quam adoptio Filiorum** :

α) II Petr. I, 4 « divinae consortes naturae... per *cognitionem... fugientes* etc., quae significant gratiam actualem.

β) Carthag. (418) can. 3, B. 103 (67) gratia qua justificamur per Christum

valet ad adjutorium *ut non committantur* peccata, ergo gratia actualis est gratia qua justificamur.

d) **absoluta gratuitas gratiae** (Cf. thes. 18) *arguit ordinem prorsus diversum.* Secus non apparet cur, v. g. actus amoris naturalis heroicus Dei sit omnino impar gratiae impetrandae.

151. — 2) **Indirecte** ex dogmatibus connexis.

a) Finis hominis est supernaturalis ; ergo et media ad finem.

b) Verbum Incarnatum est stricte supernaturale ; atqui ejusdem ordinis sunt actus nostri salutares : Christus caput, nos membra. — Christum induimus.

c) gratia habitualis est stricte supernat. ; atqui actus proportionantur potentiae.

d) Item S. Eucharistia : communio est ordinis supernaturalis ; atqui in eodem ordine sunt omnes actus salutares.

152. — **3ª pars : Et quidem entitative.**

Hoc probare videntur argumenta allata in 2ª parte, praesertim :

1) distinctio specifica ordinis naturalis et supernaturalis ;

2) Gratiae necessitas et simul gratuitas absolutae.

153. — **4ª pars. Quare et actus salutares supernaturales sunt intrinsece et quoad substantiam.**

1) Gratia intrinsece et entitative supernaturalis *requiritur propter actum salutarem,* in quem physice influit. Ergo ipsi actus sunt intrinsece et entitative supernaturales

tum quia gratia datur propter actum,

tum quia actus causatur a gratia.

2) « Habitus non datur, nisi propter actus : ergo si habitus est in substantia supernaturalis, actus ejusdem substantiae esse necesse est.. » (Suar. l. 2 c. 5 n. 7). *Atqui habitus est supernaturalis quoad substantiam.* Ergo et actus qui ex habitibus eliciuntur.

Atqui ejusdem ordinis sunt tum actus salutares eliciti ex habitibus, tum actus salutares eliciti ex gratia actuali ; ergo omnes actus salutares supernat. sunt intrinsece et quoad substantiam.

154. — **Scholion. Contra Ripaldam** (*De Ente supernat.* D. 114 s. 13 et D. 20) **tenemus non omnem actum moraliter bonum, qui fit a non justificato, esse de facto supernaturalem,** sed, cum ex Conciliis et Patribus fides sit « *humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.* » (Trident. VI c. 8, B 801 [683]) *probabiliorem* existimamus sententiam quae docet seriem actuum intrinsece supernaturalium **incipere ab initio fidei,** i. e. a judicio quod praelucet pio credulitatis affectui.

Cf. tract. de fide.

Thes. XVII. — Actus salutares supernaturalitatem suam desumunt ex solo principio elicitivo.

Suarez l. 2 c. 11 ; Lugo, *De fide ;* D. 9 ; Ripalda D. 45 ; Lahousse, *De gratia* n. 81-88 ; Wirceb. VIII n. 15-24 ; Schiffini, *De gratia* n. 207-212 ; Van der Meersch n. 243-246 ; De Meyere *: Hist. de auxiliis* V, 23 s ; *Zeitschrift für kath. Theol.*, Schmid 1888 (t. 12), p. 263-289 ; ib., Müllendorff 1893 (t. 17) p. 174 s ; ib., Lingens 1894 (t. 18) p. 293-335 ; 593-626.

155.—St.Q. 1) Quaestio solvenda. Considerantes actus supernaturales prout sunt supernaturales, inquirimus **non cur actus salutares debeant** esse supernaturales (cf. thes. 16) **sed a quibusnam principiis** accipiant suam entitativam supernaturalitatem. Quaestio complectitur actus deliberatos et indeliberatos.

Duplex praesertim sententia :

a) **Suarez,** l. c., quem sequuntur non pauci, docet actus supernaturales discriminari specifice a naturalibus **non solum ratione principii elicitivi, sed etiam et primario ratione objecti formalis** : objectum formale impertit actui supernaturalitatem quatenus ipsum, vel est intrinsecus supernaturale, vel praesentatur supernaturaliter sive per fidem, sive per actum cognitionis infusae.

Hoc Suarez ut videtur, tenet propter suam analysim actus fidei. Ita etiam Thomistae communiter ; Cf. Cajet. (I.II q. 63 a. 3), Bañez (II. II q. 1 a. 2 ; q. 6 a. 1 etc.)

b) Sententia altera, quae est **Lugonis, Ripaldae** etc., nobis multo *probabilior,* enuntiatur in thesi. Affirmamus igitur circa idem objectum formale possibilem esse actum sive naturalem sive supernaturalem, et **discrimen entiativum inter utrumque provenire unice ex gratia supernaturali** quae datur ad unum actum, non vero ad alterum.

156. — 2) *Objectum materiale* est ipsa res quae per potentiam attingitur. *Obj. formale :* est ratio sub qua facultas attingit objectum.

N. B. Ne confundas *objectum formale* cum motivo. Causalitas objecti formalis non est efficiens, neque physice neque moraliter, sed est formalis, eamque exercet non quatenus movet, sed quatenus terminat. Hinc dat suam formam actui prout est tendentia quaedam. *Motivum* vero (i.e. ratio apprehensa impellens ens liberum vel determinans ens necessarium ut exerceat actum) est causa quoad exercitium actus ; respectu autem specificationis non est causa sed tantum conditio praevia sine qua non.

3) **Bene distinguas quaestionem in hac thesi positam a quibusdam aliis quae hic non tanguntur, v. g.:**

a) Estne de essentia actus salutaris ut homo agat ex motivo supernaturali ? — Quaestio moralis. Resp. negative.

b) Existitne aliquod objectum quod respondeat actui supernaturali ut

praecise supernaturalis est ? — Quaest. metaphysica. Resp. affirmative (est visio intuitiva).

c) Quid requiritur ut actus sit meritorius ? — Cf. de merito.

4) Eadem quaestio est et de actibus et de virtutibus supernaturalibus.

157. — Prob. thesis.

1) *Ex facto* : Circa idem objectum formale dantur actus naturales et supernaturales ; ergo supernaturalitas non venit ab obj. formali.

Prob. ant. :

a) Propter idem objectum formale (auctoritatem Dei revelantis) haereticus credit in Christo esse duas personas, catholicus non nisi unam.

b) Propter idem obj. form. catholicus rudis credit, v. g. Trinitatem et Spiritus Sancti incarnationem: actus prior, positis ponendis, supernaturalis est, alter falsus et naturalis. (Cf. de fide).

c) Object. formale omnium virtutum moralium est honestas actus ; atqui haec honestas eadem manet, sive actus sit naturalis sive supernaturalis.

d) Homo sine gratia supernaturali potest elicere actum caritatis perfectae (Cf. thes. 12) ; atqui nullum obj. formale majus cogitari potest ; ergo omne object. formale per actum naturalem attingibile est.

2) *Object. formale supernaturale videtur contradictorium in terminis.*

Object. formale implicat attingibilitatem objecti per actum et proinde proportionem expeditam actus ad objectum.

Atqui talis proportio non habetur nisi actus jam sit supernaturalis aliunde.

Ergo object. formale supernaturale, si datur, jam supponit actus supernaturalitatem, ilam non dat.

3) *Ex testimonio conscientiae.*

Certum est nos nobis non conscire utrum actus sit supernaturalis an naturalis. (Cf. Schol.)

Atqui in sent. Suarezii hoc deberemus dignoscere: nam attingibilitas non potest non cadere sub experientiam sub ea ratione qua movet (saltem in actibus deliberatis).

4. *Ex doctrina S^i Thomae.*

De Verit. q. 10 a. 10 ; q. 14 a. 10 obj. 31 ; q. 24 a. 14 ; II. II q. 171 a.2 ad 3 ; I D. 17 q. 1 a. 4.

158. — Objectiones vide apud Suar. n. 13 s. ; Wirceb. n. 19-24.

Ad difficultatem tritam (Wirceb. n. 19) : « *Actus specificantur ab objecto* »

Resp. 1) hoc sensu quod, ubi objecta specie diversa, et actus sunt specie diversi, *conc.* ; quod *unice* specificantur ab objecto, *neg.*

vel 2) specificantur ab objecto quatenus actus est v. g. cognitionis vel volitionis, etc. *conc.* ; quatenus est naturalis vel supernaturalis, *neg. et explico.* Distinguas in actu super-

naturali quasi duplicem lineam : lineam objectivam (actus volitionis, intentionalis, etc.) ; subjectivam (actus naturalis, supernaturalis.)
Sic, v. g. in linea objectiva distinguuntur picturae profanae, religiosae, historicae, etc. ; in linea vero subjectiva, quae dicuntur « aquarelles, tableaux à l'huile, mosaïques,» etc.— *Discrimina lineae objectivae non proveniunt a linea subjectiva et vice versa.*
Intelligitur ergo quomodo actus supernaturalis, qua vel intentionalis est, vel volitionis, specificatur ab objecto,non vero *qua supernaturalis est.* (Un portrait n'est pas nécessairement un tableau à l'huile).

Thes. XVIII. — Initium salutis ita gratis a solo Deo datur, ut ad primam gratiam supernaturalem nullus omnino influxus actibus naturalibus concedatur. Ideoque prima gratia non potest mereri neque de condigno neque de congruo. Imo ad illam nulla datur dispositio naturalis positiva ; neque naturales preces ullo modo valent eam impetrare, in praesenti saltem providentia.

Cf. Ripalda D. 17-19 ; Palmieri thes. 31-33 ; Wirceb, n. 284 ss.

159. — **St. Q.** 1) Certum est cogitationem congruam praecedere omnem actum honestum, ideoque initium omnis virtutis, etiam naturalis, esse a Deo. Sed de hoc non agitur in thesi.

Neque agitur de proportione naturae, *in actu primo,* ad ordinem supernaturalem : utrum in natura sit aliqua exigentia ordinis supernaturalis ? Quaestio haec soluta manet ex tractatu de ente supernaturali.

Sed quaestio est **de relatione *actus* naturalis cum gratia supernaturali.**

De quonam actu agatur ? De actu elicito, vel sine ulla gratia, vel cum sola gratia naturali, vel cum gratia supernaturali quoad modum.

De quanam gratia ? De prima gratia actuali entitative supernaturali, etiam quatenus est mere sufficiens.

De quonam influxu actus naturalis in gratiam ? Evidenter nequit esse sermo de causalitate physica, sed *de causalitate morali* tantum.

Porro **causalitas moralis** multiplex datur :

160. — a) **Meritum** : est opus in obsequium vel utilitatem alterius praestitum dans, aliquo modo, jus ad compensationem.

Est *vel de condigno* (valor operis moraliter proportionatus est ad proemium : *titulus justitiae*) ;

vel de congruo (adest aliqua convenientia ut proemium conferatur : *titulus aequitatis*). Meritum de congruo est vel *fallibile* (nulla adest promissio), vel *infallibile* (si promissio adest).

b) **impetratio** tripliciter intelligi potest :

α) *stricte* : prout distinguitur a merito et ab omni alio opere honesto.

in concreto est deprecatio qua continetur humilis propriae indigentiae confessio et potentiae alterius professio.

in abstracto est ipsa vis humilium precum prout idonea est ad obtinendam superioris misericordiam.

Cf. Jungmann, *De gratia* n. 387 ; S. Thom. II II. q. 83 a. 15.

β) *latius*,est ipsum meritum de congruo quatenus et ipsum respicit misericordiam. Cf. Trident. XIV, 4, B. 898 (778) ; Suarez l. 12 C. 34 n. 8 sq.

γ) *latissime*, est affectio cuilibet operi honesto qua tali communis, qua superior aliquo modo ad aliquid dandum inclinetur.

c) **dispositio** est realis habitudo subjecti,acquisita per actus morales,qua homo plus minus proxime idoneus constituitur ad formam (gratiam) recipiendam. — In casu, si adesset dispositio ad gratiam, actus ethice boni adderent potentiae obedientiali aliquam perfectionem qua magis apta fieret ad gratiam recipiendam. Dispositio quam definivimus est **positiva.** — Dicitur **negativa**, si tantum removet prohibens, sc., in casu, non obstaculum proprie dictum (Deus enim et maximo peccatori gratiam maximam largiri potest) sed majorem indignitatem ex peccato ortam.

161. — Hinc meritum et impetratio :

a) **discriminantur,** quatenus :

meritum competit omni operi salutari — impetratio soli orationi ;

meritum ordinatur ad justitiam vel ad aequitatem — impetr. ad misericordiam ;

meritum dicit aliquam proportionem ad proemium — impetr. nullam ;

meritum Christus et Angeli in coelo non habent — possunt autem impetrare ;

meritum praecipue ordinatur ad Beatitudinem — impetratio etiam ad terrena.

b) **conveniunt,** quatenus

ambo cedunt in honorem aut commodum remunerantis ;

possunt cedere in commodum non tantum personale, sed etiam alienum.

162. — 2) Adversarii.

a) **Semipelagiani.** Cf. n. 29-35.

b) Non desunt ex antiquis theologis qui censuerunt dari dispositionem aliquam positivam naturalem, vel aliquod meritum de congruo, ad gratiam tum auxiliantem, tum sanctificantem, Cf. Ripalda D. 18 s. 2. n. 14 ; D. 17 s. 1 n. 1. 2 ; s. 12 n. 57 ; Suar. l. 8 c. 7 n. 8, 9. Cui errori favere videtur *S. Thom.* II D. 28 q. 1 a. 4. Hanc sententiam retractavit tamen I. II q. 109 a. 6.

c) Clarius quam Veteres in errorem eumdem incidit *Vasquez* asserens gratiam naturalem esse dispositionem sufficientem ad fidem supernaturalem. (Cf. I p. D. 91 c. 14 n. 113 ; c. 16 n. 130).

d) Primam gratiam supernaturalem posse impetrari docuit D. Soto, *De nat. et gratia* l. 2 c. 3.

Thesis, quatenus negat meritum de condigno est *de fide* ;
meritum de congruo } *theol. cert.*
disposit. positivam proximam }
dispositionem posit. remotam } *certa et communis.*
vim impetrandi }

Dicimus « in praesenti saltem providentia », ut abstrahamus a controversia quam movet Ripalda, de qua cf. Schol. 2 n. 167.

163. — Probatur

1ª pars. In genere, nullum influxum habent actus naturales ad primam gratiam obtinendam.

1) *Documenta Eccl.*

Indic. de gratia cap. 12, B. 141 (94). Arausic. II can. 3-7, B. 176 (146). Trident. VI cap. 5, B. 797 (679), cap. 16, B. 809 (692) ; XIV cap. 8, B. 904 (783).

2) *Patres*, cf. thesim 7ᵃᵐ et textus infra citandos.

3) *Script.* docet :

gratiam gratis dari : Rom. XI, 25 ; I Cor. IV, 7.

solum Deum esse causam discretionis : I Cor. IV, 7.

nos nihil posse in ordine ad salutem : Rom. III, 20-28 ; IV, 2-6 ; XI, 6 ; Joan. VI, 44 ; XV, 5 ; Philipp. II, 13.

164. — 2ª pars. Nullum meritum

A. neque de condigno.

1) Arausic. II, 5, 7, 17, B. 178 (148) s. Trident. VI cap. 5, B. 797 (679).

2) S. August. *De div. quaest. ad Simpl.* l. 1 p. 2 n. 2, 3, 5, 7, 12, M. 40, 111, 113 sq.

De gratia Christi c. 26 M. 44, 374.

De pecc. orig. c. 24, n. 28, M. 44, 398; Cf. c. 23.

De dono perseverantiae c. 13, n. 33, M. 45, 1012 ; c. 19, n. 48 col. 1023.

De praedest. Sanctorum c. 3 n. 7 med. M. 44, 964

Epist. 217 n. 25 M. 33, 987.

S. Cyrill. Alex. *In Rom.* 11, 6 M. 74, 845 D.

3) *Script.* Cf. 1ᵃᵐ partem.

4) *Ratio theol.*

a) Dogma est praedestinationem esse independentem ab omni merito.

b) Nulla proportio ordinis naturalis cum supernaturali. Cf. tract. de Ente supernat.

B. neque de congruo.

Documenta Eccl. contra Semipelagianos, licet primario rejiciant meritum de condigno, tamen damnant etiam meritum de congruo ; quod certum videtur **ex ipso statu controversiae cum Semipelagianis.** Etenim rationem cur unus eligatur, alter non, Massielienses assignabant ipsum voluntatis

conatum naturalem : quae doctrina ab Arausicano et a Patribus rejicitur.

Atqui, ut ratio discretionis inveniatur de facto in naturali conatu voluntatis, sufficit hunc conatum mereri de congruo primam gratiam supernaturalem.

Qua animadversione facta valent argumenta allata contra meritum de condigno.

Cf. tamen apud Ripaldam D. 17 s. 12 n. 56 placita quorundam theologorum.

165. — 3ª pars. Nulla dispositio positiva. (Cf. Suar. l. 8 c. 7 ; Wirceb. n. 286.

1) Documenta citata negant **omnem proportionem** actus naturalis cum prima gratia ; atqui dispositio positiva dicit proportionem.. ; ergo...

2) Homo seipsum discerneret, **haberet ex se initium salutis.**

Cf. S. August. *De peccat. merit. et remiss.* II c. 18 n. 28, 30, M. 44, 165.
Cont. Julian. IV c. 3 n. 15, M. 44, 744.

3) Ex S. Thom. I, II, q. 112 a. 2 : ad gratiam ut est donum habituale datur praeparatio; non vero ut est auxilium Dei moventis animam ad bonum.

4ª pars : Neque impetratio. (Palmieri thes. 32 ; Wirceb. n. 285).

1) *Ex documentis* neque ipsa oratio fieri potest sine gratia supernaturali.
Arausic. II can. 3, 6, B. 176 (146) sq.
Joan. XV, 7 ;
Rom. VIII, 26, cum expos. S. August. Cf. 194 (105) c. 4 n. 16, M. 33, 879. Cf. S. Aug. *De donopersev.* c. 23 n. 64, M. 45, 1032.
Prosper, *Cont. collat.* c. 2 n. 7, M. 45, 1805.

2) *Ratione :* Initium salutis esset a libero arbitrio.
Daretur aliquid naturale connexum cum supernaturali.

166. — Schol. 1. Proprie loquendo, homo **neque negative se disponere potest** ad primam gratiam salutarem, quatenus proprie dictum prohibens, ideoque vera dispositio negativa non habetur in casu. Cf. Stat. quaest.

167. — Schol. 2. Rejicienda videtur sententia Ripaldae (D. 19 s. 3.) **fieri potuisse, in alia providentia, ut precibus naturalibus inesset vis impetrandi gratiam supernaturalem.** Quia impetratio, cum nequeat concipi sine valore ad movendum Deum, induit rationem medii, et proinde dicit proportionem intrinsecam cum gratia supernaturali obtinenda : quae proportio intrinseca repugnat simpliciter et in omni hypothesi (Vide in tractatu de Ente supernaturali controversiam de substantia supernaturali).

Potuisset tamen Deus statuere se non daturum primam gratiam nisi oratio naturalis praecesserit **tanquam conditio praevia sine qua non** Cf. de Lugo, *De fide* D. 12 s. 3 n. 31.

168. — De axiomate : Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Thes. XIX. — Axioma illud pervulgatum, licet recte etiam explicetur de faciente quod in se est cum auxilio gratiae supernaturalis, verius tamen, et sine ullo semipelagianismi periculo, intelligitur de faciente quod in se est per vires naturae, ita ut cuilibet legem naturalem servanti Deus, ex mera liberalitate, sed infallibiliter, conferat, saltem ante mortem, gratiam qua ad fidem salutarem possit pervenire.

Cf. Lessius *De gratia efficaci,* cap. 10, appendix ; Ripalda D. 20 ; Palmieri, thes. 34 ; Wirceb. VII n. 290 ; Bucceroni, *Commentarius de auxilio sufficienti infidelibus dato et de theologico axiomate.* « *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* » ; Suarez, *De gratia* l. 4 c. 12-18 ; Molina, *Concord.* art. 13 D. 10 ; Van der Meersch n. 168-173 ; Capéran, passim ; Hugon : *Hors de l'Eglise point de salut.* p, 84 s. ; Vivap. 3 D. 1 q. 9 ; TannerD. VI q. 3 dub. 8 n. 207-229 ; Del Prado I p. 326-332 ; 715, 716.

St. Q. 1) Duae veritates conciliandae :

Gratuitas gratiae absoluta — gratia sufficiens omnibus data.

169. — 2) Axiomatis origo : Antiquissimum est axioma, et, quoad sensum, jam adumbratum in Scriptura. Cf. Mat. VII. 7 ; Act. X, 43.

S. Chrysost. clare illud enuntiat. : « *si omnia quae penes nos sunt adhibeamus, in iis quae ignoramus Deus nobis manum porriget.* » *(In ep. ad Rom. Hom.* 26 n. 3, M. 60, 641).

Cf. S. Gregor. Nyssen. *Orat. catech.* c. 30, M. 45, 78. S. Basil. Reg. brev. 224 M. 31, 1232.

Imo, fere quoad verba, axioma proponit S. Isidorus Pelusiota († 410 ?) *Epist.* l. 5 ep. 459, M. 78, 1594 : « *Qui omnia, quae in se sita sunt implet, Deus ipsi benignus annuit.* »

Invenitur etiam apud auctores medii aevi, magnorum Scholasticorum antecessores. Sic, de philosophis qui Deum non cognoverunt ait auctor *Quaestionum in Epist. Pauli* p. 38-40 (discipulus Hugonis a S. Victore ?) « *Ideo inexcusabiles fuerunt, quia non fecerunt quantum potuerunt.* » M. 175, 440 C.

170. — 3) Interpretatio.

A. sensus certo falsi :

a) Facienti quod in se est ex viribus naturae Deus non denegat, i. e. retribuit gratiam supernaturalem tanquam vel illam merenti (sive de condigno sive de congruo) vel ad eam positive se disponenti : rejectum thes. 18ª.

b) Peccatum est obstaculum prohibens primam gratiam supernaturalem.

Contradicit experientiae : maximis peccatoribus Deus dat gratias maximas.

thesi nostrae 36ªᵉ ubi probabimus Deum dare gratiam sufficientem peccatoribus etiam obstinatis.

c) Datur certus numerus actuum honestorum, quibus positis Deus certo confert gratiam supernaturalem.

Ita Arriaga *(De gratia* D. 41 s. 4 n. 15). Est sententia singularis et gratuita.

171. — B. Sensus veri, sed insufficientes.

a) Facienti quod in se est cum auxilio gratiae actualis supernaturalis Deus non denegat ulteriorem gratiam supernaturalem sive sufficientem, sive adjuvantem (efficacem, quae tamen, qua talis, non meretur).

b) Facienti quod in se est cum auxilio gratiae supernaturalis actualis Deus confert, tanquam ultimam dispositionem offerenti, gratiam habitualem.

Sensus verissimi, qui defenduntur a multis Thomistis et aliis. Cf. del Prado, Hugon, Viva, Wirceb. etc., l. c. Sed non explicant quomodo omnibus, *quantum est ex Deo*, datur gratia sufficiens, cum multis de facto gratia fidei denegetur.

172. — Sensus probabiles, qui tamen minus placent propter doctrinam expositam de gratia naturali (Cf. thes. 13).

Facienti quod in se est per actus naturales Deus de facto dabit gratiam supernaturalem primam :

a) Hoc sensu quod ad omnem actum deliberatum bonum Deus concedit gratiam supernaturalem, ita ut de facto, etiam ante justificationem nullus detur actus moraliter bonus qui non sit supernaturalis. — Ita Ripalda D. 20 s. 2. — Opinionem Ripaldae admittere videtur Alb. Valensin, *Immanence (Méthode d')*, Dict. d'Alès col. 603. — Cf. etiam Desjardins S. J. Revue des Sciences eccl. 1872 (t. 25) p. 113 sq.

Rejicitur ob rationes n. 154 expositas.

b) Ex viribus naturae, sine ulla gratia in facilioribus, juvante gratia quoadmodum supernaturali in difficilioribus, Deus ex mera liberalitate confert gratiam supernaturalem primam.

Ita Suarez, de Lugo, Bucceroni et multi alii.

173. — D) Facienti quod in se ex viribus naturae, juvante gratia naturali quae tamen nullas adjicit vires (cf. thes. 12, 13) Deus ex mera liberalitate dat primam gratiam supernaturalem sufficientem.

Ita Vasquez, Lessius, Portalié et alii.

Hanc sententiam, quam adumbratam jam invenies apud quosdam Veteres, v. g. apud Gersonem, *Liber de vita spirituali animae,* lect. 1ª, et nos amplectimur illamque accuratius sic explicamus :

Cuilibet servanti legem naturalem ex viribus naturae, juvante gratia naturali de qua in thes. 2, 13 et 14

conferetur gratia saltem remote sufficiens ad fidem salutarem,

saltem ante mortem,

ex mera liberalitate divina,

attamen infallibiliter, tum propter voluntatem salvificam Dei, tum forsan etiam consequenter ad pactum Dei cum Christo Redemptore. (Cf. Suarez

C. 15 n. 1 s.; Molina, *Conc.* art. 13 D. 13 et alii.) De hoc pacto severius loquuntur Thomistae (Cf. Hugon p. 86 s.)

In hac sententia observantia legis naturalis non est conditio sine qua non, *sed conditio cum qua* prima gratia supernaturalis obtinebitur, non propter nexum instrinsecum operis naturalis cum gratia supernaturali sed propter legem a Deo libere statutam.

Contra del Prado, p. 329.

174. — Probatur.

Sententia dogmatice tuta, quae bene explicat quae explicanda sunt, admittenda est;

Atqui talis est sententia nostra; ergo...

Prob. min. pvr partes :

1) **est dogmatice tuta.** Adversarii putant nos instaurare Semipelagianismum. Cf. Censuram Cleri Gallic. anni 1700 (Bossuet, ed. Lachat t. 22 p. 745 et Bossuet. *Lettre à M. de la Broue* (t. 17 p. 115). At perperam; nam :

a) Nullum adstruimus meritum, nullamque dispositionem naturae respectu gratiae supernaturalis.

b) Etiam in nostra sententia initium salutis est a Deo, siquidem et primus actus salutaris fit juvante gratia supernaturali.

2) **explicat quae explicanda sunt :**

Gratia manet absolute gratuita, cf. 1) a.

Nullus viator sine sua culpa caret gratia salutari.

Hinc, ratio cur gratia supernaturalis viatoribus

detur : Dei bonitas est et misericordia;

recusetur : ipsa culpa viatorum.

Dicimus *saltem ante mortem*, quia

secus voluntas Dei salvifica non esset seria;

haec conditio sufficere videtur.

Sententia Thomistarum **de bivio** (Cf. S. Thomas. III q. 89 a. 6, vide Hugueny *Rev. Thom.* 1905 (t. 13) 509 sq. 646 ssq.) videtur rejicienda, tum quia est contra omnem experientiam, tum quia jam nullus esset infidelis negativus.

SECT. II INSPECTO EJUS MODO AGENDI

ART. I GRATIA EXCITANS ET ADJUVANS

Conspectus doctrinae

I. Quid sit gratia excitans ? — Thes. 20-23.
Est impulsus, non liber, a Deo veniens, supernaturalis.
Includit : vocationem externam, ordinario ;
illustrationem mentis (judicia, simplices apprehensiones) ;
inspirationem voluntatis (affectiones simplices, non tantum motus charitatis);
etiam, etsi minus proprie, actus indeliberatos sensuum et appetitus sensitivi ;
Illustr. et inspirat. fiunt a Deo immediate. — sunt actus vitales hominis praecipue indeliberati, quandoque etiam deliberati.
Excluditur vel qualitas mortua vel motio virtuosa Thomistarum.
Constituitur *ergo adaequate* gratia excitans motibus indeliberatis de quibus supra.

II. Gratiae excitantis causalitas. — Thes. 24-26.
1) Spectata absolute, in seipsa.
a) confert vires **morales** : causat per modum finis, alliciendo.
b) confert vires **physicas** : i. e. actus salutaris a gratia excitante procedit ut a causa efficiente.
Hinc, rejicitur altera qualitas (gratia efficax) Thomistarum ; — assistentia extrinseca Spiritus Sancti respectu actus secundi (Suarez).
N. B. α) In justo gratia excitans agit saltem ut causa moralis in voluntate, non necessario ut causa physica(adsunt habitus.)
β) Gratia excitans informat et perficit intrinsece facultatem nostram : — Hinc, quando contra Thomistas negamus elevationem intrinsecam facultatis per gratiam excitantem,
rejicimus elevationem intrinsecam per qualitatem fluidam vel motionem virtuosam. ante elicitionem actuum *indeliberatorum*
non vero elevat. intrinsecam *ante actum deliberatorum* per actus indeliberatos elevatos
2) Comparata cum causalitate facultatis : Gratia excitans et facultas agunt physice, ut causae partiales, simul, activitate intime conjuncta, non separata. — Facultas est causa principalis vitalitatis,
Gratia excit. est causa principalis supernaturalitatis.

III. Gratia excitans comparata cum adjuvante — Thes. 25.
Sunt eadem entitas,
Distinguuntur ratione: *excitans* praescindit a positione vel non positione actus salutaris ; *adjuvans* connotat actum salutarem.
concursu, qui comitatur actum salutarem.

§ 1. Gratia excitans.

Thes. XX. — Gratia actualis est imprimis excitatio animae, seu impulsus non liber a Deo veniens et supernaturalis. Consistit, saltem inadaequate, in mentis illustratione et inspiratione voluntatis, quae fiunt a Deo immediate, et sunt actus vitales hominis, praecipue indeliberati, sed etiam, quandoque, deliberati.

Cf. Suarez l. 3 c. 1-7; Vasquez I. II D. 185; Ripalda D. 102, 103, 107; Wirceb. n. 257; Palmieri, thes. 7 s.; Van der Meersch n. 277; Pesch. n. 11-34.

175. — St. Q. 1) Inquirimus in hac thesi quaenam sint motiones illae quibus « *bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit aut eligere* » possumus. (Arausic. II c. 7, B. 180 [150]). Respondemus, cum Arausicano, esse « *illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti* ».

Illuminationem, seu illustrationem, mentis dicimus esse a Deo, *immediate*, i. e. Deus ipse directe, et non mediante aliquo objecto creato, in mente producit sanctam cogitationem. (Quod evidenter objecti externi actionem non excludit.)

Etiam inspiratio voluntatis immediata est, i. e. Deus voluntatem movet non tantum mediante illustratione intellectus, sed operatione nova et distincta agit etiam in voluntatem.

Saltem inadaequate, ne ingrediamur controversiam cum Thomistis de qua in thesi sequenti.

2) **Adversarii** : Illustrationem intellectus et praesertim inspirationem voluntatis negant *Pelagiani*. Cf. n. 28.

Inspirationem voluntatis *immediatam* negant Vasquez I. II D. 185 c. 6 Petav. *de Pelag. et Semipel. haeresi* c. 10 n. 12.

Vega (l. 6 c. 8) putat has illustrationes et illuminationes non esse actus vitales hominis, sed a solo Deo nobis immitti.

Arnauld contendit gratiam non esse nisi actum creaturae deliberatum *Epist. ad du Vaucel.* (Cf. Jungmann n. 30).

176. — Probatur.

I. Est impulsus non liber a Deo veniens et supernat. — *Theol. cert.*

1) *Documenta.*

Trident. VI cap. 5, 6, B. 797 (679) sq.; can. 4, B. 814 (696); XIV cap. 4, B. 898 (778), ubi gratia dicitur vocatio, excitatio divina « tangente Deo », per impulsum Spiritus Sancti.

Cf. Indic. de gratia c. 8, B. 134 (92)

2) *Script.* « *Ego sto ad ostium et pulso* » Apocal. III, 20.

3) *Ecclesia*, in suis orationibus « *Excita Domine corda nostra* ».

4) *Ratio.* Sicut actus bonus naturalis, ut fiat, exigit, ante primam cogitationem, excitationem ab extrinseco, ita et actus supernaturalis exigit excitationem aliquam proportionatam.

177. — II. Constituitur, saltem inadaequate, illustratione et inspiratione. — *Theol. cert.*

1) *Documenta.*

Carthagin. (418) 4, B. 104 (68) ; Indic. de Gratia, c. 8, B. 134 (92) ; Arausic. 5-7, B. 180 (150) s. ; Trident VI cap. 5, B. 757 (679) ; Vatican. III cap. 3, B. 1791 (1640).

Unde sic : In his documentis gratia actualis explicatur per illuminationem quae pertinet ad intellectum et aperit nobis quid facere debeamus, et per inspirationem qua diligimus ut faciamus, et sic pertinet ad voluntatem.

Atqui agitur, ex ipso statu controversiae, de auxilio interno gratiae actualis, praesertim excitantis ; ergo...

2) *Patres*, praesertim August.

Cf. *De peccat. merit.* l. 2 c. 19 n. 32, 33, M. 44, 170.
Ad simplic. I q. 2 n. 21, M. 40, 126.
De vocatione gentium l. 3. c. 17, M. 51, 712. (oculos aperit voluntatis).
S. Fulgent. *Epist.* 17 n. 67, M. 65, 493.
S. Cyrillus Alex. *In Joan.* 6, 40, M. 73, 516. Etc.

3) *Script.*

II Cor. III, 5. Cf. Prat. I p. 203, 204.
Cf. Arausic. c. 7, B. 180 (150).

4) *Ratione theol.* Ex scopo gratiae actualis.

Gratia act. nobis confertur ad vitam supernaturalem agendam, quae continetur actibus intellectus et voluntatis : juvandae ergo sunt hae duae facultates.

178. — III. Quae fiunt a Deo immediate.

A) Illustrationes intellectus. — *Theol. cert.*

1) *Documenta* jam allata hoc probant. Etenim in controversia Pelagiana quaestio erat de gratia interna. Deus ipse immediate agit in facultates hominis. (Cf. n. 28).

2) *Doctrina August.* sexcentis in locis :

Cf. *De peccat. merit.* I c. 25 n. 37, M. 41, 130.
In I Joan. 27 Tract. 3 n. 13, M. 35, 2004.
De gratia Christi c. 19 n. 20, M. 44, 370. *Epist.* 177 n. 7, 8, M. 33, 767.

3) *Script.* 2 Cor. III, 5. Argum. suasivum.

4) *Ratione theol.* Stante sola externa propositione objecti, intellectus manet subjective intra ordinem naturalem.

B) Inspiratio voluntatis. — *Probab.*

Antiqua documenta : eodem modo exigunt illustrationem et inspirationem, sedulo distinguunt unam ab altera.

Pelagius forsan hanc inspirationem mediatam admisisset.
Cf. Carthag. can. 4 ; Indic. de gratia c. 8, 9 ; Arausic. 4-7.
St. Aug. *De gratia Christi* cap. 26 M. 44, 374 ;
De gratia et lib. arb. 905 ;
De peccat. merit. c. 17 n. 26 167 ;
De spirit. et litt. c. 3 n. 6 203 ;
Cont. duas ep. Pelag. II c. 9 n. 21 586.

179. — IV. Sunt actus vitales hominis. — *Sent. communior.*
Vocantur in documentis : cogitatio, scientia, suasio, illuminatio, inspiratio, etc. Quae affectiones describuntur tanquam existentes in facultatibus vitalibus intellectus et voluntatis.

Atqui sine ingenti miraculo, quod deberet probari, fieri nequit ut intellectus cogitet vel voluntas amet quin facultas active eliciat actum.

Obj. Concilia et Patres dicunt gratias excitantes fieri in nobis sine nobis. *Dist.* sine nobis vitaliter concurrentibus, *neg.* ; sine nobis vel libere vel meritorie cooperantibus, *conc.*

V. Sunt praecipue actus indeliberati. — *Communis.*
1) Gratia excitans vocatur in documentis vocatio, praeveniens, antecedens ; atqui haec significant — ex ipso statu controversiae — gratiam praecedere actum deliberatum.

2) Proprium ejus munus est excitare ; ergo praevenit hominem quasi dormientem vel non attendentem.

3) Excitatio necessario incipit ab intellectu, ergo per actum indeliberatum.

VI. Etiam, quandoque deliberati. — *Communis.*
Contingit unum actum supernaturalem deliberatum excitare animam ad alium. Ita, v. g. actus fidei excitat ad spem, actus spei ad amorem, actus charitatis excitat ad praeceptorum observationem, caritas proximi ad actus misericordia, etc.

180. — Coroll. Ex probatis sequitur *erroneam* esse doctrinam quae asserit **omnem** influxum gratiae fieri mediante vehiculo quodam externo. Incante igitur scribit **Lahitton** *(La vocation sacerdotale* p. 27. 28.) « *L'Eglise est une société visible, où les réalités les plus mystérieuses entrent dans le courant de la circulation sociale sous des signes sensibles qui les manifestent, sous des signes sensibles officiellement connus, parce qu'on les sait divinement institués pour transmettre les réalités invisibles qu'ils enveloppent..... Invisible la grâce ; visibles les éléments matériels qui en sont les canaux.* » — Haec, si in rigore verborum et ut absolute, de omni gratia, asserta intelligerentur, offenderent non subjectivismum et illuminismum contra quem merito insurgit cl.auctor, sed ipsam doctrinam catholicam de actione Dei **immediata** in hominis facultates.

Cf. Hurtaud, *La vocation au sacerdoce,* p. 435, 436.

Thes. XXI—1) **Illustrationes intellectus habentur maxime per judicium, possunt tamen haberi etiam per apprehensionem suasivam. Inspiratio voluntatis plerumque est affectio simplex indeliberata. 2) Nequaquam vero omnis inspiratio est formaliter amor, multo minus charitas proprie dicta.**

Cf. Ripalda D. 102 s. ; 3 ; 103 n. 1 ss. Wirceb. n. 261-263.

181. — St. Q. Quaeritur in quibusnam actibus consistant illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis.

Apprehensio suasiva praesentat objectum ut bonum aut malum sine affirmatione vel negatione.

Affectio simplex potest esse una vel plures ex passionibus.

Ultima pars est contra Jansenium (cf. n. 49), Berti *(De theol. discip.* XIV), aliosque Augustinienses.

1ª pars est *certa*, 2ª est *theol. cert.*

Probatur.

I. Illustrationes. A. **Maxime per judicium.**

1) Ita enim etiam in naturalibus plerumque dirigitur voluntas.

2) Patres et concilia explicant illustrationem per cognitiones, revelationes, suasiones, exhortationes, etc. quae fiunt plerumque per judicium.

Carthagin. (418) : « scire quid agere debeamus ».

B) Etiam per apprehensionem suasivam.

1) Tales apprehensiones possunt habere rationem indebiti et excitare ad actum salutarem. Cf. Ripalda D. 62 n.7.

2) Potest fieri actus efficax virtutis supernaturalis circa objectum realiter inhonestum, apparens tamen honestum. At cognitio proponens honestatem talis objecti non potest esse judicium supernaturale, quia judicium supernaturale necessario est verum (Cf. tract. de Fide). Ergo cognitio tunc proponens honestatem objecti erit apprehensio quae falsitatis immunis est... » Ripalda l. 2. n. 8.

C) Inspiratio est plerumque affectio simplex et indeliberata.

Cf. Ripalda D. 103 s. 2.

Id supponunt Patres, dum gratiae afficienti tribuunt delectationem, suavitatem, dulcedinem et alios similes effectus.

Cf. *De Vocat. gent.* l. 2 c. 26 M. 51, 711.

S. Prosper *Cont. Collat.* c. 7 n. 2 M. 51, 230 sq.

182. — II. Non omnis inspiratio est formaliter amor vel caritas.

N. B. Nexus inter hanc partem et thesim 11ᵃᵐ manifestus est. Siquidem Jansenius docet nullum actum bonum esse praeter actum caritatis,

sequitur nullam voluntatis motionem esse bonam praeter motionem caritatis : hinc omnis inspiratio est caritas.

Rejicitur :

1) Damnat. Pistor. prop. 21, 23, 25 B. 1521 (1384) sq.

2) Ex thesi 11ª ubi fundamentum doctrinae jansenianae evertitur.

3) Omnia documenta quibus constat alias dari virtutes supernaturales praeter amorem et charitatem.

183. — Schol. 1. Inter gratias actuales excitantes merito quoque, etsi minus proprie, recensentur tum **actus indeliberati sensus et appetitus sensitivi, tum providentia externa positiva et negativa.** Cf. Palmieri thes. 12 et 13.

1) Sunt gratiae, quia ducentes, licet remote, ad salutem ;
dona indebita, saltem quatenus efficacia.

2) Minus proprie, quia minus directe ducunt ad salutem ;
minus verificant rationem doni indebiti (non sunt intrinsece supernaturales).

quoad providentiam, vide quae diximus n. 60 de gratia externa.

184.— Schol.2. Quaenam sint causae, motus supernaturales excitantes ? Cf. Ripalda D. 108. ; Molina, *Concord.* art. 13 D. 45.

Thes. XXII. Prima gratia excitans formaliter sumpta adaequate consistit in actibus intellectus et voluntatis indeliberatis. Admittenda enim non est ulla sive motio virtuosa sive qualitas infusa non vitalis, suapte natura fluens, quae sit ipsa formaliter et adaequate prima gratia excitans et cum facultate constituat unum principium intrinsecum, a quo actus indeliberati procedant vitales simul et supernaturales.

Cfr. Suarez, *De Gratia* III. c. 4 ; Ripalda, *Disp.* 104 et 34 ; Billot, *De Gratia* p.124 *s.* ;Van der Meersch n. 279-283 ; Terrien, *La grâce et la gloire* t. II. Appendix p. 365 *s.* ; Palmieri, thes. 16.

185. — Praenotanda. 1° Quaestio restringitur ad gratiam pure excitantem, qualis utique non est actus deliberatus fungens munere excitandi, cum sit ipse effectus alterius gratiae excitantis.

2° **Rejicitur hic sententia Neo-thomistarum. 1.** Prout ipsi docent, « gratia praeveniens, seu quae primo praevenit nos, non est formaliter actus noster vitalis »(Alvar. *De auxil.*, disp. 74, n. 4),sed est « aliquid antecedens omnem actum vitalem » (ibid. tit.), scil. est « quoddam donum » quod Deus motione sua « saltem per modum transeuntis tribuit intellectui et voluntati, quo intellectum quidem illuminat et facit ipsum subito apprehendere aliquid ad salutem pertinens, ipsam vero voluntatem ad bonum *inclinat* facitque ut aliquo modo ei afficiatur et *sic* utramque potentiam

elevat, instruit ac roborat ut potens sit ad bonum » (Sylvius, in 1. 2. q.111, a. 3, q. 2, concl. 3). Itaque actus vitales indeliberati sunt effectus gratiae primo excitantis, quanquam et ipsi sunt vere ulterior gratia excitans (id. concl. 4), sc. sunt gratia causaliter. Cf. Guillermin, Rev. Thomiste 1902, t. 10 p. 384 sq.

2. Quid est illud antecedens omnem actum vitalem ? Est *forma* quaedam *accidentalis* (Salmant. tract. XIV, q. 111, Disp. 5, dub. 3, § 3), quam alii aliter concipiunt.

a) Ab aliis dicitur esse **qualitas quaedam physica supernaturalis fluida** et communicata instar motus et per modum transeuntis(Cfr.Salmant.tract. 14, q. 111, l. c.). Haec qualitas informat facultates, eas elevat et expeditas facit ad actus supernaturales eliciendos ; est duplex, altera intellectus, altera voluntatis, « ex utraque simul resultat illa omnium prima gratia praeveniens », ait Lemos, *Panoplia*, IV, 1 Tr. 7, c. 5 n. 59 ; quae est simul cum facultate principium actus vitalis, tanquam illius causa.

b) Ab aliis dicitur esse « **motio virtuosa** » (Alvarez, De Aux. III, D. 19, concl. 4), quae « aliquid supernaturale est, a Deo effectum et in intellectu et voluntate creata receptum ante omnes nostros actus indeliberatos, potentias ipsas movens ad illos eliciendos et cum potentiis eos vere efficiens ut principium effectivum eorum » (Lemos, l. c. cap. 7, n. 91) ; sc. est quaedam praemotio. Cfr. Billuart, diss. IV, a. 2. Dummermuth, *S. Thomas* cap. I, n. 12, p. 52 « motio virtuosa... proprie qualitas dici non potest nisi per reductionem vel cum addito, habet esse transiens et incompletum ».

186. — 3° Praeter illam formam accidentalem actibus indeliberatis praeviam, qua potentiae complentur in actu 1° (sc. gratia sufficiens) admittunt Thomistae alteram quae est principium ipsius actus 2i deliberati. Nunc rejicimus 1am assertionem ; 2am rejiciemus in disp. de gratia efficaci, thes. 32.

4° Recte advertit Pesch, n. 52, nihil obstare a priori quominus admittatur ejusmodi « qualitas transiens non vitalis a Deo potentiis eo tantum fine impressa ut, per modum comprincipii, earum virtutem de se ad supernaturalia insufficientem compleat ac constituat in actu primo sufficiente » ad *connaturalius* eliciendum actus indel. supernaturales (sic Platel, *De gratia* n. 547). Negamus vero a) dari de facto talem entitatem, b) ipsa adaequate constitui gratiam praevenientem, etiamsi admittenda esset.

187. — 5) Notandum etiam controversiam hanc, licet sit cum Thomistis, **non pertinere ad controversiam proprie Molino-Thomisticam** (de qua Cf. thes. 32). Revera Molinistae quidam v. g. Billot et Terrien l. c. in hac thesi tenent cum Thomistis. — Sent. nostra videtur *probabilior*.

188. — **Probatur I.** *Ex silentio traditionis*, imo ex ejus testimonio pro sententia opposita. Cfr. Suarez, *De Gr.* III, c. 4, n. 2. Rip. D. 104, n. 7-8. — **Patres**, utpote tam frequenter agentes de gratia, et quidem praesertim

de prima, non potuissent silere de tali qualitate, si censerent in ea consistere gratiam actualem vel unice vel principaliter.

Atqui 1. **silent.** Nec juvat quod Patres explicent gratiam praevenientem per excitationem, vocationem, pulsationem, etc. Nam istis appellationibus significantur actus vitales facultatum ex, speciali efficacia Dei agentis in ipsis existentes : sunt quaedam illuminatio intellectus, inspiratio dilectionis, delectationis, etc.

Ita S. Aug. *In Psalm.* 102 n. 16... : vocat per intimam cognitionem ; *In Joan.*tract. 26 n. 7 : trahit Pater, quatenus *docendo delectat*, etc. Arausic.II, c. 7B.180 (150): gratia ad quodvis opus bonum necessaria consistit in « illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati » Cf. Trid. VI, cap. 5 B 797 (697) ; Wirc. n. 256 ad Object.et ad inst. 1 : Sancti Spiritus vero infusio et operatio (Arausic. II, 4) non est aliqua qualitas realis recepta, sed est ipsa actio Dei principiative spectata (Wirc. 256 ad inst. 2).

2.**Speciatim,in controversia cum Massiliensibus**,*primam gratiam*,quae est fidei, explicant unice sitam esse in quadam cognitione et volitione. Ita saepe S.Aug.,v.g. *De Praedestinatione S.*c.2, n. 5,M. 44,962-963 : « *prius esse cogitare quam credere* » quae cogitatio « *sufficientia nostra qua credere incipimus ex Deo est.* » *C. duas ep. Pelag.* II, c. 9, M. 44, 585 « *quis potest sine bona cogitatione ad bonum cor praeparare?* » *De pecc. mer. et rem.*II,c. 19 n. 33,M.44, 170. Ergo cogitatio, dilectio, etc. est prima omnium gratia, quam non antecedit ulla qualitas non vitalis a qua illae dimanent tamquam a sua causa. Nec necessitas gratiae cogitationem praevertentis docetur in I Cor. III, 5, ut ostendunt Wirc. 256 ad inst. 3.

189. — II. *Ex ratione.* 1. **Ex eo quod qualitas illa insufficiens est.** — Gratiae excitanti proprium est ut producat infallibiliter et necessario actus vitales indeliberatos. Atqui id non praestat qualitas thomistica non vitalis fluens : facit tantum ut facultas fiat idonea ad actum ; ut vero exeat in actum requiritur alia Dei motio praevia, quae aut ponet in facultate aliam qualitatem aut non. Si non, ergo nec prior motio Dei talem producit ; si ita, progredimur in infinitum. Ratio : q. ista qualitas « *differt ab habitu solum in hoc quod subjectum afficit transeunter tantum* ».(Lemos, l. c. n. 71).

2. Argumentantur aliqui, forte minus efficaciter, ex eo quod talis qualitas *videtur implicare contradictionem.* Nam contradm implicare videtur *qualitas* quae ex natura sua postulat sui interitum, tum q. est positiva quaedam entitas, tum q. qualitas importat in suo conceptu permanentiam. Atqui qualitas thomistica non vitalis, eatenus tantum erit transiens, quatenus cessaret esse vel per annihilationem a Deo : a. Deus se accommodat naturis rerum ; — vel per activitatem creaturae superiorem sibi oppositam : a. talis assignari nequit ; nam non infunditur qualitas contraria ; vel per defectum subjecti (anima) aut contradictionis sine qua permanere nequeat ; a. manet anima ; (conditio vero a qua illa qualitas pendeat in esse non potest ulla assignari) ; vel q. ipsa qualitas non vitalis fluens ex sua natura postulat sui cessationem.

Ergo talis qualitas implicat contradictionem. Cfr. Suar. *de Gr. III, c. 18 n. 11 ;* Rip. *D. 104, sect. 3 n. 15.*

190.—3. **Nec proficit « motio virtuosa »** Nam vel est inintelligilibis, vel est ipsamet qualitas non vitalis fluens, ut bene advertunt Salm. l. c. n. 50. — Revera a) principium facultates elevans ad actus indeliberatos et eos simul cum ipsis eliciens non est immediate ipse Deus, ut omnes Thomistae fatentur ; sed est aliqua entitas creata, inhaerens, quae, si quid est, nequit esse nec quantitas, nec relatio, nec actio, neque ubi aut quando..., ergo vel qualitas, vel « extra omnia praedicamenta vagabitur... quod concedere philosophicum non est ; neque etiam est quod theologiae attribuamus quod nos cogat contra principia philosophica hujusmodi entitates introducere. » Suar. *De Gratia* III, c. 4, n. 3 ; c. 18, n. 11. Nec aliter Salm. l. c. n. 52.

b) Qualitas dicitur communiter in scholis illud accidens quod subjectum complet et perficit in suo esse vel in sua activitate; a. tale est munus motioni virtuosae assignatum : est manifesto quaedam *dispositio* ; hinc Joan a S. Thoma P. I, q. 12, a. 2 utitur appellatione « *qualitas impressa.* »

c) Motione illa, utpote virtuosa, producitur in facultate hominis aliqua entitas ; nam non potest intelligi aliqua effectio quin sit aliquid factum ; et revera operatio divina elevat potentiam, reddit capacem actus superⁱˢ, movet ad actum, nec tamen est actus ipse vitalis, sed quid praevium e. qualitas.

191. — III. **Confirmatur auctoritate S. Thomae, 1. 2. q. 110, a. 2.** Opponens gratiam habitualem actuali, negat in hac infundi qualitatem ; asserit eam consistere in motu. Cfr. Salm. th. XVI, circ. fin.: « Cum animus movetur a Deo, actus moventis erunt quidam motus animi ; motus autem animi non sunt nisi actus vitales cognitionis aut volitionis ; id est ergo quod procedit ab activitate Dei moventis. Corpus quidem mobile patiens tantummodo est ; at animus, cum sit vivens, motus ejus actus vitalis est; ad quem vi sua vitali eliciendum movetur a Deo. » — Plura apud Rip. D. 104, sect. 8.

Thesis. XXIII.—Ut actus vitales indeliberati gratiae primo excitantis possint elici entitative supernaturales non requiritur infusio praevia ullius formae non vitalis sed sufficit ut Deus per concursum specialem indebitumque facultatem extrinsecus elevet.

Cfr. Suar. *De Gr. III*, c. 4 et 19 ; Ripalda, D. 23 et 34.

192. — **Praenotanda.** 1° Nondum definimus num omnis gratia excitans sit entitative supernaturalis. Accipimus interim, saltem aliquas gratias excitantes esse entitative supernaturales, et solvimus difficultatem oriundam ex eo quod repudiata qualitate non vitali thomistica deesse videtur principium efficiens proportionatum illustrationis et inspirationis supernaturalis in eo qui habitibus infusis destituitur.

2° *Elevatio* sumpta active intelligitur « auxilium superioris agentis, rei indebitum, quo munus exsequitur quod concursu sibi debito propriaque virtute exequi non potest. » Ripalda, D. 24, sect. 1, n. 2.

Est *intrinseca*, quando auxilium est facultati elevandae inhaerens ; ejus-

modi sunt, v.g. gratia sanctificans (Trid. VI, cap. 16 B. 809 (692)), quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis *inhaerentem* justificamur, illa eadem Dei est quia a Deo *nobis infunditur* per Christi meritum et habitus. — Dicitur *extrinseca*, si auxilium consistit non in aliquo dono infuso facultati inhaerente, sed in virtute divina, immediate per indebitum concursum facultati assistente, et cum ea constituente unum principium operationis supernaturalis.

3° Explicatio in thesi proposita datur ut *probabilior*, cum plerisque theologis nostris. Cfr. Ripalda, D. 24, n. 13 : « *est communis et vera theologorum sententia.* »

193. — Probatur. I. Quia potest Deus « facere per se ipsum omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcumque causam creatam. » S. Thom. 1. q. 105, a. 2 ; dummodo non adsit contradictio, neque desit in creatura aptitudo elevationem recipiendi.

Atqui, *ex una parte* **Potest Deus** ope habitus infusi elevare facultates ad eliciendum supernaturaliter illustrationem et inspirationem ; *ex alia parte*, **neque adest repugnantia :** habitus enim supplendus est non qua informans, sed solummodo qua efficienter concurrens ad tribuendum actui supernaturalitatem ; aliunde principium, a quo actus habet ut sit vitalis, manet idem, neque deest in facultate aptitudo ut per auxilium extrinsecus assistens elevetur. Ergo potest Deus per solam elevationem extrinsecam supplere munus habitus infusi qua efficienter concurrentis ad actus indeliberatos supernaturaliter eliciendos.

Prob. antecedens quoad secundum : **Non deest in creatura aptitudo.** Quia sicut creatura est respectu Dei obediens passive, seu ad *recipienda* dona ordinis superioris, ita est obediens active ut cum auxilio Dei ipsi indebito *producat* effectus quos nativa virtute et cum solo concursu sibi debito producere non posset, et speciatim non deest in anima potentia obedientialis activa quoad actus vitales supernaturales.

Prob. a) *Ex facto.* Actus entitative supernaturales quibus peccator se disponit proxime ad 1^am^ justificationem sunt ab homine non mere passive se habente, sed Deo excitanti cooperante ; atqui nequit actus, qui entitative sup. est, elici a potentia quin ea sit active potens ad agendum extra limites naturae sub motione seu auxilio Dei supernaturali.

b) *Ex auctoritate* S. Aug. *de Gen. ad litt.* IX, c. 17. 18 M. 34, 406 « super autem hunc motum cursumque rerum naturalem potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum seminales rationes (sc. eorum « virtutes tam activae quam passivae » S. Th. II, D. 18, q. 1. a. 2 ad 4) habent ; non tamen id quod non in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit... neque enim ex eis (naturis) vel ille (Deus) faceret quod ex eis fieri non posse ipse praefigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior. »

c) S. Thomas IV, D. 8, q. 2. a. 3 ad 4 « nulla creatura potest agere ea

quae sunt supra naturam quasi principale agens ; potest tamen agere quasi agens instrumentale a virtute increata motum ; quia sicut creaturae inest obedientiae potentia *ut in ea fiat* quidquid creator disposuerit, ita etiam ut *ea mediante fiat*, quod est ratio instrumenti ». — *De Pot.* q. 6, a. 1 ad 18 ; et 1. 2. q. 110, a. 2 ; animus fit potens elicere actus supernaturales per solum auxilium extrinsecum. Cfr. Palm. thes. 16. — Nec obstat 2. 2. q. 175. a. 3 ad 2, ubi agit non de possibilitate, sed de facto.

II. Ex eo quod cum sola elevatione extrinseca actus potest elici simul vitalis et intrinsece supernaturalis. a) *Vitalis :* ad hoc sufficit ut e principiis causam actus adaequatam constituentibus unum agat vitaliter ; nec refert quomodo adjuvetur, extrinsecus an intrinsecus. b) *Supernaturalis* : ex eo quod alterum comprincipium, activitate obedientiali facultatis naturalis instrumentaliter utens, est ordinis sup. Cfr. Ripalda, D. 34, n. 15 ; Suar. *De Gr.* III, c. 19, n. 3. 4.

194. — **Ad difficultates.** 1. Natura dicitur intrinsecus impotens ad actus supernaturales, sc. physice, ac proinde oportet quidem ei superaddi vires physicas. Id vero fieri potest per auxilium sive intrinsecus, sive extrinsecus elevans.

2. Activitas naturae, si comparetur cum actu ut est supernaturalis, dici debet influere instrumentaliter ; nam sub hoc respectu agit per virtutem acceptam a Deo per concursum indebitum cooperante ; si virtus naturalis comparetur cum actu ut est vitalis, sic est causa principalis. Cf. thes. 26.

3. Hinc non Deus extrinseco concursu in actum influens denominabitur ex illo intelligens et volens ; sola enim facultas est a qua actus ut a principio intrinseco procedit et in qua recipitur. Denominatio autem volentis et intelligentis non accipitur ab actu nisi prout est vitalis.

Thesis XXIV. — Gratia praeveniens vires ad efficiendum actum salutarem confert *tum morales :* quae quidem possunt esse tantae ut dissensus fiat moraliter, imo physice impossibilis ; *tum etiam physicas*, et quidem probabilius quatenus facultas per ipsos actus indeliberatos elevatur.

Cfr. Ripalda, Disp. 109 et 110 ; Suar. III, c. 15, 17-19.

195. — **Praenot.** 1° Certum est gratia praeveniente conferri vires ; quaerimus nunc quales. Aliis verbis etiam quaeres : quomodo motiones gratiae excitantis influant in actum salutarem.

2° Praescindimus hic a causalitate gratiae respectu actus mere honesti : Facultas est de se physice proportionata tali actui, indiget auxilio morali ; de quo Cf. thes. 13.

3° Gratia praeveniens, prout nunc consideratur, est reapse gratia adjuvans *principiative spectata.*

4° Cum praesenti quaestione intime connexa est illa de gratia adjuvante *formaliter spectata* ; perspicuitatis tamen causa eam ad sequentem thesim remittimus.

196. — Pars I[a].

A. Gratia praeveniens, quoties datur, confert vires morales (Suar. l. c. cap. 15), i. e. causat per modum finis, alliciendo et invitando.

Conferri per gratiam vires morales, ac proinde competere ipsi influxum moralem in actum salutarem *certum est.*

Revera 1°) Juxta Concilia et Patres, praecipue Augustinum, motus indeliberati gratiae praevenientis **causant per modum finis,** alliciendo et invitando. Ita saepe Aug. : gratia est suavis inclinatio et attractio : *Serm.* 131 cap. *2* M. 38, 730), est delectatio (*De pecc. mer. et dem.* II, 19, n. 33. M. 44, 170), aperit quod latebat, attrahit per modum finis et objecti : *In Joan.* tract. 26, n. 5 M. 35, 1610 « *Ramum viridem ostendis ovi et trahis illam* ». Alios textus dabit Suar. l. c. cap. 15, n. 2 et 3. — Qua delectatione et inclinatione difficultas minuitur vel excluditur ; et datur, vel augetur, facilitas ad bonum.

Atqui haec motio a) vere influit in actum salutarem, b) est distincta a motione physica gratiae.

2°) Adjutorium morale

a) **convenit naturae hominis,** cui proprium est ut ipse actibus suis liberis (libertate electiva) se moveat ad finem cognitum et amatum. Atqui, experientia teste, omnis actus voluntatis deliberatus praevertentem habet motum aliquem affectionis, spontanee ex objecti cognitione praevia excitatum ; hujus motus indeliberati munus est praeparare voluntatem ad actum deliberatum, sive simpliciter ut fiat, sive ut fiat suavius. — Cfr. Palm. th. 14, p. 49.

Id significat Aug. *Ad Simplic.* I, q. 2, n. 21 M. 40, 127 « *quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat ?* », n. 22, c. 128 « *voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest ; hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate* ».

b) **necessarium est homini lapso ad sanandum** vulnus ignorantiae et concupiscentiae, per quam inducta est *quaedam* impotentia honeste agendi.

197. — Coroll. Motus gratiae praevenientis, respectu ipsius liberi arbitrii, possunt dici **causa formalis,** quatenus, sui conjunctione cum ipso, faciunt aliquod compositum per accidens, quod est liberum arbitrium excitatum.

198. — B. Potest esse tanta perfectio motuum indeliberatorum... ut oppositus dissensus voluntatis evadat :

a) **moraliter impossibilis** (Ripalda, Disp. 1909, sect. 2). Cf. thes. 4 et thes. 32 n. 268.

1° *Ratio :* Potest Deus procurare ut, occurrente per Providentiae dispositionem objecto, aut immissa menti ejus cogitatione, voluntas vehementissime afficiatur in illud amplectendum, affectio vero ad oppositam partem sit tenuissima. Atqui in hoc casu adest pro dissensu ea difficultas quam homo non solet superare, etsi physice possit.

2° Ita docent α) *Scriptura*, v. g. Prov.XXI, 1 « *Cor Regis in manu Domini ; quocumque voluerit inclinabit illud* ».—β) *Patres* (apud Ripalda,l. c.),v.g Aug. *Enchir.*, cap. 89, n. 25 M. 40, 274 « quis tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere ». Atqui id eatenus tantum fieri potest quatenus, manente possibilitate physica dissensus, moraliter tamen redditur impossibilis.

b) **physice impossibilis** (Ripalda, l. c. sect. 3), sc. quatenus excitata vehementi affectione indeliberata in unam partem, nullus suscitatur motus in oppositum, vel si existebat interrumpitur. — Cfr. Palm. th. 14, p. 51 sq. ; Pesch, n. 46.

199. — IIª Pars. Gratia praeveniens confert vires physicas, i. e. influit physice in consensum salutarem quatenus per motus vitales indeliberatos elevatur potentia. — *probabilius.*

Praenot. 1° Ut consensus salutaris eliciatur supernaturaliter, necessarium est principium aliquod supernaturale cum voluntate efficienter concurrens ad actum. — Hoc principium, in justificatis, est habitus infusus illius virtutis cujus producitur actus (cfr. Wirc. 268) ; qui habitus, dum ita concurrit, habet veram rationem auxilii transeuntis ; quia, licet sit secundum se qualitas permanens, non concurrit tamen nisi per *actualem influxum transitorium* sub excitatione sanctae cogitationis et sanctae affectionis.

2° Hinc praesens quaestio respicit actus salutares justificationi praevios sive infidelis, sive peccatoris fidelis quoad eos actus quorum habitibus destituitur.

3° Elementa gratiam praevenientem constituentia sunt :

a. Ex parte Dei, seu active : a) activa elevatio ; b) ipsa excitatio per illuminationem et inspirationem ; c) concursus supernaturalis ad consensum salutarem paratus.

b. In homine, seu passive : a) passiva elevatio ; b) actus vitales indeliberati ; c) concursus sup. in hominis potestate positus.

200. — 4° Quaeritur num facultas, informata actibus indeliberatis,sit eo ipso proportionate **in ratione principii consensum salutarem physice eliciendi**, an vero proportionari indigeat

sive per infusionem novae qualitatis non vitalis cum actu 2° connexae (sic Bannesiani, de quibus thes. 32),

sive per elevationem extrinsecam Spiritus Sancti ?

5° **Duplex sententia nostrorum.** 1. Alii, cum **Suarezio** : requiritur elevatio extrinseca **per Spiritum S. assistentem**, et defectum comprincipii intrinsece inhaerentis, in genere causae physicae immediate supplentis. Suar. *De Gr.* III, c. 17-19 ; Cfr. *Opus. de vera intellig. auxilii efficacis*, cap. 4, ed. Ven. tom. IX.; Tanner, tom. II, in. Disp. 6, n. 625 ; Amicus,

t. III, D. 28, sect. 2, n. 36. 37. 40 ; Schiffini, *De Gr.* n. 153-154, Cfr. 148, 1. ; Wirceb. n. 269 (Cf. n. 264).

2. Alii censent facultatem elevari **per ipsos actus indeliberatos ;** quibus ubi primum est informata, non indiget elevatione extrinseca qua debuit proportionari ad sanctam cogitationem et pium affectum. Ut eliciatur consensus salutaris nihil amplius requiritur praeter concursum Dei supernaturalem. — Ita Molina, *Conc.* q. 14, a. 13, D. 37 § quum autem ; D. 38, § illud deinde ; Lessius, *De Gr. effic.*, cap. 15, n. 3 « quae sententia mihi semper verior visa fuit ». (Cfr. l. c. cap. 2, n. 11) ; Bellarm., *De Gr. et lib. arb.* art. 1, cap. 13. E recentioribus : Palmieri, th. 17, n. 6 ; Pesch. n. 63, etc. — Doctrinam hanc, quam longa disputatione 110 defendit Ripalda, et nos hic defendimus.

201. — **Probatur.** 1° *Ex modo loquendi Conciliorum.*, Ripalda, l. c. sect. 2 Molina, disp. 39 § deinde falsum ; d. 40., — Sensu obvio intellecta, qui retinendus est nisi obstet manifesta ratio, Concilia videntur magis favere causalitati physicae actuum vitalium. — Nam a) contra Pelagianos decernunt gratiam, quam intelligunt actualem, omnino requiri tanquam principium physice efficiens consensum salutarem ; **atqui hoc gratiae auxilium explicant per actus vitales indeliberatos nec unquam indicant aliud elementum ;** e. actibus vitalibus gratiae attribuunt efficientiam physicam.

Ad min. Milev. II, can. 4 B. 104 (68) : gratia per quam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, et quae datur ut facere diligamus, eadem quoque praestat ut facere valeamus ; et can. 5 ; dat ipsum posse. — Trid. VI, cap. 5 B. 797 (679) : identificatur gratia excitans et adjuvans ; sine hac gratia, liberum arbitrium non habet, cum hac, habet posse se movere (utique active) ad justitiam ; hoc autem posse nequit restringi ad solas vires morales. Et revera, ex hac gratia et voluntate tamq. e duplice causa partiali fit una causa adaequata, utique physice influens, actus salutaris.

2° *Ex Patrum, speciatim Augustini, doctrina.*— Pelagius, in ultima controversiae periodo, concessit gratiam illustrationis, sed contendebat quod possibilitas naturae, per ejus concursum moralem mota, sufficeret ad agendum. — Atqui Aug. exigit praeterea gratiam inspirationis qua Deus voluntatem adjuvat ut agamus. — *De Gr. Christi*, cap. 8, n. 9 ; cap. 12, n. 13 M. 44, 364, 368. Alios textus dabit Ripalda, l. c. sect. 3 et 4.

§ 2. Gratia adjuvans

Thesis XXV. — Gratia excitans et gratia adjuvans entitative sunt una eademque gratia ; ratione tamen distinguuntur pro diverso munere diversaque habitudine ad actum salutarem.

Cfr. Wirc. 265-; Suar. *De Gr.* III, c. 13-20 ; Ripalda, Disp. 104. ; Pesch, n. 36.

202. — Praenotanda. 1° Gratia adjuvans sumi potesta *generice* pro quolibet gratiae auxilio. Sic Aug., *De Gr. Chr.*, cap. 47 n. 52 M. 44, 384 « si (Pelagius) consenserit etiam ipsam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil libere velimus et agamus... nihil de adjutorio Dei quantum arbitror inter nos controversiae relinquetur » ; b) *specifice*, sc. auxilium determinatum gratiae actualis, ab excitante distinctum, quo Deus actum salutarem nobiscum libere cooperantibus efficit.

2° Spectari potest, prout de excitante dictum est, terminative seu formaliter, et principiative.

Terminative seu *formaliter* identificatur cum actu deliberato prout est in nobis a Deo, differt igitur realiter ab excitante formaliter sumpto.

Principiative (ut est principium actus deliberati) : certum est, adjuvantem principiative differre aliquomodo ab excitante formaliter : a) excitans potest esse sine adjuvante ; b) excitanti, praecise ut excitans, resisti potest, non vero adjuvanti qua tali ; c) adjuvans est major in ratione beneficii.

203. — 3° Dari gratiam adjuvantem non indiget probari seorsim ; clare asserunt Concilia et Augustinus testimoniis statim adhibendis.

Sed quaeritur num adjuvans formaliter spectata differat ab excitante per ipsam entitatem suam.

A) **Affirmant Bannesiani.** Adjuvans consistit in praemotione physica, quae actibus indeliberatis supervenit et voluntatem cum actu 2° conjungit. Admittunt ergo Thomistae aliquam qualitatem (Cf. thes.22) quae est gratia excitans actus indeliberatos, aliam qualitatem (praemotionem physicam) quae est gratia adjuvans.

B) **Negant nostri ;** discordant tamen aliquomodo, secundum opiniones in th. 24 expositas. a) **Suarez :** adjuvans addit excitanti novum auxilium et beneficium gratiae, et quidem realiter distinctum ab illa, sc. realem et physicum influxum Spiritus Si extrinsece specialiter assistentis. Cf. Suar. cap. 16, n. 2 sq. — b) **Molina :** adjuvans nihil addit excitanti realiter distinctum ; nam facultas, cum sit per actus indeliberatos elevata, est in ratione potentiae omnino completa. Cfr. Molina, *Conc.* q. 14, a. 13 D. 40 ed. Leth. p. 227 ; Lessius, *De Gr. eff.* cap. 2, n. 10 sq. ; cap. 15 n. 3 ; Vasquez, in 1. 2. d. 185 cap. 9, n. 41. — Caeterum hic dissensus est parvi momenti, et videtur esse in verbis potius quam in re.

204. — Probatur.

I. Non differunt entitative.

1) *Script.* I Cor. XV, 10. Eadem gratia, qua juvante Paulus laboravit, potuisset esse vacua ;

atqui gratia qua laboravit, est gratia adjuvans ;
quae potuisset esse vacua, est gratia excitans ; ergo....

2) *Carthagin.* can. 4 B. 104 (68). Gratia quae nos adjuvat ad non peccandum est eadem illa per quam nobis aperitur intelligentia mandatorum ;

atqui gratia quae nobis aperit intelligentiam mandatorum est gratia excitans.

Cf. Trident. VI cap. 5 B. 797 (679) : *eidem* gratiae libere assentiendo.

3) *S. Thomas* I.II q. 111 a. 2 ad 4.

4) *Ratio theol.* — In ordine naturali virtus efficiens actum secundum, est illa ipsa virtus quae constituebat potestatem in actu primo. Ergo etiam in ordine supernaturali.

Diffic. 1) Gratia adjuvans est speciale beneficium prae excitante.

R. Est speciale beneficium in seipsa, prout est principium actus salutaris, *neg.* ; ratione connexionis cum actu salutari, *subd.* et haec est gratiae intrinseca, *neg.* ; extrinseca, *conc.*

2) Si gratia excitans non distinguitur realiter ab adjuvante, in ipsa invenitur ratio adaequata gratiae actualis ; atqui haec ratio adaequata intelligi nequit sine effectu ; e. omnis gratia excitans esset efficax...

R. *Dist. maj.* Spectata efficacia virtutis et in actu primo *conc.* ; efficacia connexionis, absolute et in actu, *neg.*

II. Gratia excitans et gratia adjuvans distinguuntur ratione et connotatione. — Ut jam constat ex praenotatis,

Revera a) *excitans* est in nobis sine nobis ; *adjuvans* est in nobis et nobiscum, accedente libero consensu.

b) *excitans* potest esse sola ; *adjuvans* supponit excitantem et reapse influit in actum.

c) *excitans* non signat nisi actum 1um ; *adjuvans* includit in suo conceptu actum 2um.

205. — Schol. Attende ad varias gratiae appellationes. Dicitur :

1° **Gratia operans et cooperans.** — Aliae aliorum explicationes; communior est qua *operans* dicitur quae in nobis sine nobis aliquid facit : sic est eadem ac excitans ; *cooperans*, quae aliquid in nobis facit consentiente simul libero arbitrio : est eadem ac adjuvans. — Haec explicatio a) magis concordat cum modo loquendi S. Aug., *De Gr. et lib. arb.* c. 17 n. 33 : M. 44, 901 « sine illo vel *operante* ut velimus, vel *cooperante* quum volumus ad bona pietatis opera, nihil valemus. » et Trid. VI, c. 5. b) Salvat strictam oppositionem inter *operantem* et *cooperantem*, ita ut illa sit solum operans ; quod convenit gratiae excitanti. c) Datur a S. Thoma 1. 2. q. 111. a. 2 in c. et in resp. ad 4um docet quod « gratia operans et cooperans est eadem gratia.» Divisio autem, a S. Doctore proposita, licet includat gratiam habitualem, datur quoque pro gratia actuali.

De gratia operante et cooperante. vide : Molina, *Concord.* p.223, sq. ; p. 227 sq. Alvarez, *De auxiliis...* l. 9 ; Schiffini, *De gratia* n. 159 ; Pesch. V n. 19-44 ; Van der Meersch, n. 130 ; 291 sq.

2° **Gratia praeveniens et subsequens.** « Praevenit ut sanemur; subsequitur ut etiam sanati vegetemur » S. Aug. *De Nat. et gr.* c. 31 M. 44, 264. Quidam aptant hanc divisionem ad gratiam habitualem, secundum quod nos sanctificat citra nostra merita vel ut principium nostrorum meritorum. — Applicatae ad gratiam actualem, appellationes istae non uno modo intelli-

guntur. (Vide apud Palmieri thes. XVIII, n. 3). Juxta Trid. VI, c. 5, B. 797 (679) gratia excitans est maxime proprie praeveniens. Spectata quoad unum idemque opus, praeveniens est quae praeparat voluntatem ; subsequens, qua voluntas praeparata vult actu bonum.

3° **Antecedens et concomitans** Trid. VI, c. 16 B. 809 (692) quatenus gratia spectatur relate ad liberum consensum.

Thes. XXVI. — Natura et gratia adaequatum constituunt principium activum a quo actus supernaturalis proxime procedit. Recte vero gratia et facultas dicuntur, pro diverso respecta, causa actus modo principalis, modo instrumentalis.

Cf. Ripalda D. 29, 30, 31 ; Suarez l. 6 c. 5 et 6 ; Palmieri thes. 17 ; Hurter n. 101-107,

206. — St. Q. 1) Explicata jam gratiae excitantis et adjuvantis natura, inquirendum est de modo quo et gratia et facultas naturalis in actus salutaris productionem influant.

Influxum gratiae, praeter Pelagianos et Rationalistas, nemo negavit.

***Novatores* negant actionem voluntatis** : « *liberum hominis arbitrium nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti* ». (Trid. VI c. 5 et can. 4 B. 757 (679), 914 (696). Contra illos activitatem facultatis humanae demonstrabimus in 1ª parte, quae est *theol. certa.*

207.— 2) De modo quo influant natura et gratia, **controversia est inter catholicos.**

Quaerunt *A*) **num virtus activa naturae, ad actus salutaris effectionem concurrens, influat proxime et virtute propria ?**

Triplex sententia.

1) D. Soto (IV D. 49 q. 3 a. 2), Alvarez *(De auxil.* D. 64, can. 2 ; D. 85 a. 3) et quidam alii Thomistae, docent solum habitum gratiae — i. e. in viatoribus justis, habitus ; non justis vero, auxilium actuale habitum supplens ; in comprehensoribus, lumen gloriae — esse principium proximum adaequatum actus salutaris. *Hinc, facultas non est principium quo, etiam inadaequate, actus salutaris procedat, sed principium quod sustinet gratiam.*

2) Alii quidam (Cf. Ripalda D. 30 s. 2 n. 11) tenent facultatem naturalem esse principium proximum actus qua vitalis est, gratiam vero esse principium proximum actus qua supernaturalis est. Sed agunt ut principia separata.

3) Facultas efficit actum salutarem non solum per gratiam qua completur et elevatur, sed etiam per suam innatam virtutem et proxime. « Ita uno suffragio omnes societatis scriptores. » (Ripalda l. c. n. 8).

Sent. *probabilior.*

208. — Quaerunt *B).* Dato quod et facultas et gratia proxime concurrant ad productionem actus salutaris, **quaenam est hujus actus causa**

principalis, quaenam causa instrumentalis ? Iterum habentur tres sententiae :

1) (Cf. Ripalda D. 31 n. 1) Guil.Parisiensis, Bañez, Vasquez, Bellarmin., Molina etc. dicunt : facultas per innatam virtutem concurrit ad actum supernaturalem ut causa principalis, gratia vero utitur ut instrumento.

2) Suarez (l. c. et *De Incarn.* D. 31 s. 6 sol. 4 ; *De Deo,* c. 10 n. 14 ; *Metaph. Disput.* 30 s. 11 n. 46) tenet potentiam naturalem gratia informatam, concurrere ad actus supernaturales ut instrumentum Dei.

3) Ripalda (D. 31), Rhodes (*De Deo,* Disp. 2 q. 2 s. 352), Struggl, I, p. D. 3 q. 2 a. 2 n. 15, et alii, distinguunt : facultas, per innatam virtutem proxime influens, est causa principalis actus, quatenus vitalis est et liber ; causa vero instrumentalis actus, sive complexive sumpti, sive ut est supernaturalis ; gratia vero est causa principalis ubi facultas est instrumentalis et vice versa. Hanc sententiam tenemus ut *probabiliorem.*

Recte notat Ripalda (D. 31 n. 4) hanc ultimam disputationem, « *fere totam esse vocalem* ». Pendet a conceptu causae principalis et instrumentalis quem non omnes eodem modo definiunt.

209. — Probatur

I^a^ pars. Facultas agit cum gratia.

Explicatur et probatur triplici capite.

A) **Facultas agit,** contra Novatores.

1) *Trident.* VI c. 5, can. 4 B. 797 (697), 814 (696) supponit activum influxum.

2) *Patres,* S. Aug. *Serm.* 156 c. 11 n. 11 M. 38, 855
Serm. 169 n. 13 M. 38, 922
De peccata merit. l. 2 c. 5 M. 44, 153.
S. Hieron. *Ep. ad Gal.* 5, 8 M. 26. 402
S. Leo *Serm.* 43 c. 1 M. 54, 281
Ennodius Ticinensis *l. 2* Ep. *19,* M. 63, 50

3) *Script.* I Cor. XV, 10 Cf. Hurter n. 103.

4) *Ratione theol.* Opera salutaria sunt meritoria gratiae et salutis.

B) **Influunt gratia et facultas proxime et virtute propria in integrum effectum.** Contra Soto, Alvarez, etc.

1) Ex documentis citatis, actus salutaris vere efficitur et a Deo et a nobis.

2) Actus est simul vitalis, liber et supernaturalis.

3) Actus supernaturalis est aliquid physice indivisum, neque constituitur supernaturalitate et vitalitate quasi partibus realiter distinctis.

C. **Influunt simul.**

Quia facultas et gratia unicam constituunt causam. « *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa ; sed ut totum in illo, sic totum ex illa* ». S. Bernard, *De gratia et lib. arb.* n. 47 M. 182, 1027.

210. — II. pars. Pro diverso respectu, gratia et facultas sunt causa actus modo principalis, modo instrumentalis.

Probatur ex definitione causae principalis et instrumentalis :

Si causa principalis ea est, quae producit effectum virtute propria et de se proportionata, causa instrumentalis vero ea quae effectum producit virtute aliena, patet :

a) neque facultatem esse causam principalem totius actus salutaris neque gratiam, sed

b) facultatem proportionatam esse de se vitalitati et libertati, gratiam vero supernaturalitati. Vide apud de Meyere, *De auxiliis*, V, 25, egregiam disputationem Patris Bastida.

211. — Scholion. Num motus gratiae supernaturalis experimento deprehendatur.

cf. Molina, *Concordia* p. 252 ; Suarez, *De gratia* l. 9 c. 12 ; Scheeben, *Mysterien des Christentums (2. ed.)* p. 179 ; d'Hulst, *Retraite 1892* p. 280 ; Maréchal, Recherches 1912 p. 48-56 ; Rev. de philos. 1912 p. 477 ; de la Vaissière, *Eléments de psychologie experimentale* n. 89, 95, 100.

I. Triplex quaestio distinguenda :

1) Quamnam cognitionem justus habere possit de statu gratiae in quo versatur ? —Vide tract. de gratia habituali.

2) Utrum aliquis scire possit se usque in finem perseveraturum ? Cf. Schol. n. 99.

3) Utrum gratia actualis supernaturalis possit cognosci experimento ? **Haec est quaestio nostra,** quae plures tangit difficultates : de experientia religiosa, de fundamento psychologico methodi Immanentiae, de cognitione mystica, de discretione spirituum, de distributione gratiae supernaturalis.

212. — II. Respondemus breviter.

a) **Quoad ipsam psychologicam entitatem,** motus gratiae tum praevenientis, tum adjuvantis dignosci possunt experimento. Cf. Molina l. c.

Quae cognitio videtur esse fundamentum methodi Immanentiae ut illam proposuit M. Blondel. — Vide tract. de Ente supernaturali, et articulum A. Valensin, *Immanence,* DA.

b) ***Quoad modum,* ut est motus *supernaturalis et elevans.***

α) ejus praesentia aliquomodo agnoscitur, tum ex profectu spirituali agentis, tum ex dictis de distributione gratiae supernaturalis (Vide Schol.) Cf. de la Vaissière op. cit. n. 100 ; Molina l. c.

β) **directo autem experimento character supernaturalis gratiae deprehendi nequit** (Cf. d'Hulst, Maréchal, Scheeben l. c) ; etenim :

effectus « empirici » gratiae supernaturalis nunquam fere transcendunt vires causarum naturalium.

conscientia psychologica, ut est facultas naturalis, prorsus impar est ad percipiendum immediate τὸ supernaturale.

Quomodo autem, transformata et illuminata, cognoscat experimento τὸ supernaturale, vel in coelo (Visio intuitiva), vel in statu quodam mystico, vide alibi.

De modo quo gratia praeveniens operatur in anima Cf. Molina, *Concord. 253 ssq.* St. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu* ; Hadrianus Hadrianii S. J. *De divinis inspirationibus* (Coloniae Agrippinae 1601) ; Auctores ascetici, ubi de discretione Spirituum (Cf. Chollet *Discernement des esprits* DTC.). — Vide etiam quae de ***psychologia inspirationis*** tradunt doctores in tractatu de Scriptura sacra : non pauca quae ibi dicuntur, servatis servandis, valent de actione gratiae actualis in genere.

Art. II. Gratia sufficiens et efficax.

Conspectus doctrinae.

I. Gratia sufficiens,

1) *datur* gratia vere, licet pure, sufficiens (contra Reformat. et Jansen.) thes. 27.

2) *est* beneficium Dei materiale et formale, thes. 28.
dans posse, etiam relativum (contra Jansen.) »
et vires ad ipsum agere (contra Thomistas) — thes. 29.

3) *Conceditur* omnibus, inaequalis. — thes. 36.

II. Gratia efficax.

A) *Tenenda dogmatice* :

1) Gratia est efficax in actu primo. — thes. 30.

2) Tamen non necessitat voluntatem — thes. 31 contra Reformat. et Jansenistas.

B) *Explicationes systematicae.*

1) Rejiciuntur :

Systema Bañezianum. — thes. 32.
gratia efficax est ex intrinseca sua entitate,
ideoque *entitative* distincta a gratia pure sufficiente,
et physice praedeterminat voluntatem.

Systema Augustiniensium. — thes. 33.
rejiciunt praedeterminationem physicam et scientiam mediam.
asserunt praedeterminationem moralem.

Systema Thomassini : efficacia provenit ex complexu gratiarum.

Syst. S. Alphonsi :
ad actus faciliores datur gratia efficax resistibilis.
ad » difficiliores » » » irresistibilis.

2) *Exponitur et defenditur systema Societatis.* (thes. 34).
Gratia efficax non est distincta entitative a gratia sufficiente.
Est intrinsece repudiabilis, neque necessitat voluntatem.
Est efficax in actu primo :
a) ex consensu futuribili praeviso per scientiam mediam.
b) ex decreto gratiam concedendi.
Nulla tamen requiritur praedefinitio formalis. (thes. 35).

§ 1. Gratia sufficiens

Thes. XXVII. — In statu naturae lapsae et reparatae datur gratia vere et tamen pure sufficiens.

Cf, Van der Meersch, n. 296 s.; Wirceb. n. 339-343; Guillermin, Rev. Thomiste 1901 (t. 9), p. 505 ss.

213. — St. Q. 1) Gratia sufficiens illa est quae tribuit proportionatam facultatem salutariter agendi.

Tripliciter considerari potest :

a) *praecisive,* consideratur ut conferens potestatem, praescindendo utrum conjungatur cum effectu an non. — Sic opponitur insufficienti.

b) *positive,* spectatur ut conferens potestatem et simul ut conjuncta cum effectu. — Sic est saltem materialiter efficax.

c) *negative,* spectatur ut conferens potestatem, et simul ut carens effectu. — Sic opponitur efficaci, et est *pure sufficiens.*

Distinguitur gratia :

a) *proxime sufficiens* : auxilium tale est ut conferat immediate potestatem ad actum, sine interventu alterius prioris operationis qua auxilium impetretur.

b) *remote sufficiens* : quando homo nondum in se recepit totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud a Deo paratum, si ad illud se disponat vel illud impetret.

Quae distinctio fundatur in Trident. VI cap. 11 B. 804 (686).

2) **Adversarios** habemus Reformatores saec. XVI. Cf. n. 37, 38.
Jansenistas. Cf. n. 50-52.

De statu innocentiae controversia nulla est.

Thes. est *fidei proxima,* ex damnat. Jansenii.

Probatur.

214. — I. *Ex Scriptura.* 1° Illis textibus qui aperte docent dari gratiam internam vere sufficientem cui resistitur : a) Matth. XI, 21. Gratia illa in Corozaïtis et Bethsaïditis non fuit efficax, erat tamen vere sufficiens : secus reprehensio esset injusta ; b) Matth.XXIII, 37. Affectus erga Judaeos quem Christus hic testatur, utpote sincerus, procuravit illis tales gratias quibus possent vere sub alas congregari, i. e. ad X^{um} Med. accedere ; cum istis tamen non accesserunt ; e. licet vere sufficientes, manserunt pure sufficientes ; c) Act. VII, 51 « dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis », d) II Cor. VI, 1 « ne in vacuum gratiam Dei recipiatis ».

Atqui in his textibus non agitur de sola gratia vocationis externae, sed insuper et praecipue, si non unice, de gratia interiore,— est obvius sensus, quem confirmant Ecclesiae definitiones de necessitate gratiae interioris contra Pelagianos, et constantes Patrum et Conciliorum interpretationes.

2° Illis textibus quibus eadem doctrina proponitur sub allegoriis, v. g. Is. V, 1 sqq., LXV, 2.

Object. apud Wirc. n. 344.

215. — II. *Ex authenticis Ecclesiae documentis.*

1° *Arausic* II, can. 25. B. 200 (169) « quod omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante (est gratia actualis, contradistincta a gratia per B. accepta) quae ad salutem pertinent possint et debeant (proinde gr. vere suff.), si fideliter laborare voluerint, adimplere ». Potest ergo, ex defectu volunt. non jungi cum adimpletione.

2° *Trid.* VI, cap. 5 et can. 4 B. 797, 814 (679, 696). Intelligit profecto vere suff. ; atqui docet eam esse talis naturae ut careat eff. propter resistentiam hominis. Cfr. cap. 11 B. 804 (686). Licet omnes vere possint, non tamen omnes reapse observant praecepta ; cap. 13 nisi homines defuerint gratiae, Deus, sicut coepit opus bonum, ita perficiet ; cap. 15 peccatores, e coelo exclusi, potuerunt cum gratiae auxilio abstinere a peccatis.

3° Ex damn. prop. a) *Jansenii* : 1° « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia qua possibilia fient » B. 1092 (966) et sq. « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ». (Utraque damnatur uti haeretica). b) *Quesnelli,* 9-13, B. 1359 (1224) sq. ; c) *Syn. Pistor.* 21 B. 1521 (1384).

216. — III. *Ex SS. Patribus.* Graecos sibi esse contrarios fatetur Jans. ; eos arguit semipelagianismi.

Ex latinis sufficit S. August.

a) gratiae cum qua agi posset saepe resistitur : *Libr. de 83 quaest.*, q. 68, n. 5, M. 40, 73. « qui vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii cum vocatus venire neglexerit ». — *Ad Simplic.* I, q. 2, n. 10. M. 40, 117, apud Wirc. 340 « noluit ergo Esau et non cucurrit, sed et si voluisset et cucurisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.— *De pecc. mer. et rem.* II, c. 17, n. 26. M. 44, 167 : quod non adjuventur homines gratia Dei, in ipsis causa est, non in Deo. Cfr. ibid. I, c. 39, n. 70 col. 150 : potest, qui post Bapt. ad aetatem rationis capacem pervenerit, concupiscentiam, adjuvante Deo, superare, si non in vacuum gratiam ejus susceperit.

b) Omnibus hominibus dat Deus gratiam qua possint salvi fieri « non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur ». *De Spir. et litt.* c. 33, n. 58. M. 44, 238 ; et speciatim omnibus datur gratia fidei « profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos : consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire... propriae voluntatis est. » ibid. n. 60 col. 240.

c) Mandata Dei, quae tamen a multis non implentur, non sunt impossibilia. *De Nat. et Gratia* c. 43 et 69 M. 44, 271, 288.

217. — **Textus quosdam difficiliores** explicant Wirc. n. 342 ; et Palm. th. 48.

1° Attende ad statum quaest. contr. Pel. — Pelagius concedebat ad summum gratiam interiorem illustrationis, asserebat ipsum velle et operari esse in potestate voluntatis, absque adjutorio ullius gratiae interioris. — Quare Aug. asserit praecipue existentiam et necessitatem illius gratiae qua actus salutaris reapse fit, quae est gratia efficax. Cfr. Wirc. 342 inst. 1ª ad 2 ; 3ª et 4ª.

2° Adde quod Aug., secutus morem platonicorum, quando plures species sub uno genere continentur, amat dare nomen genericum illi speciei quae est nobilissima, v. g. nomine « bonum opus » saepe intelligit bonum opus meritorium ; nomine « sapientiae » pietatem etc. Sic etiam nomine gratiae intelligit antonomastice gratiam efficacem. Vide Wirc. 342 ad inst. 3. 1°.

3° Formulae « gratia dat ipsum velle, facit ut velimus, dat actum bonum » etc. nonnunquam significant etiam *gratiam* generice, ut est *praecisive sufficiens*, dans potestatem et vires interiores ad volendum : sic v. g. *De Spiritu et litt.* c. 34. M. 44, 240.

4° Rejicit quidem gratiam possibilitatis, gratiam communem, sed in sensu Pelagianorum, non vero in eo sensu quo gratia sufficiens his nominibus appellari potest. — Wirc. 342 ad inst. 4ªm.

5° Si dicit : gratia Dei non omnibus datur, distingue : negat gratiam omnibus dari sensu pelagiano, sc. quatenus omnibus datur cum natura liberum arbitrium et lex, *conc.* ; sensu catholico, *subd.* non omnibus datur gratia actualis volitionis et actionis, perseverantia finalis quoad actum justificationis, aut gratia intrinsece sup. proxima ad fidem, *conc.* ; gratia sufficiens saltem remote, *nego.*

6° Qui novit quod fieri debeat et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, foris tantum audivit, *dist.* quantum ad effectum, quat. ejus culpa gratia non est nacta efficaciam, *conc.* quasi non habuerit inspirationem et suasionem internam sufficientem, *nego* — Wirc. inst. 1 ad 2.

7° In aliquibus gratia est talis qua moveri non possint, *dist.* impotentia absoluta et antecedente, *nego ;* consequente *conc.*

8° Opponit gratiam hominis integri, gratiae hominis lapsi : illa est adjutorium sine quo non (dat posse non peccare etc.) : haec est adjutorium quo (dat non posse non peccare) ; e. secundum Aug. omnis gratia in praesenti statu est efficax. — Resp. *Dist. ant.* in natura lapsa non dantur, sec. Aug., nisi gratiae quae sunt adjutorium quo, *nego,* praeter has gratias, quae dantur electis, conferuntur etiam tum non praedestinatis tum ipsis electis multae aliae quae sunt pure sufficientes, *conc.*

218. — IV. *Ratione theologica* (apud Wirc. 340 ; Pesch, 227) ex eo quod, negata gratia *vere* sufficiente a) mandata Dei non essent possibilia, b) tentatio non posset a justis superari, c) Deus non vellet serio salutem omnium, d) inducerentur homines ad summam vitae licentiam et desperationem.

Thes. XXVIII. — 1) Gratia vere et pure sufficiens ea est qua voluntati confertur boni operis potestas expedita et relativa etiam ad praesentes subjecti circumstantias. 2) Ejus inefficacia ex sola hominis libertate oritur ; 3) est autem absoluta, ita ut, qua sufficiens est, nullum unquam producat actum salutarem. 4) Ex parte vero Dei gratia, etiam pure sufficiens, est beneficium verum non tantum materiale, 5) sed etiam formale.

Wirceb. n. 333-435 ; Van der Meersch n. 304, 305 ; Guillermin, Rev. Thom. 1902 (t. 10) p. 46-60.

219. — St. Q. 1ª pars, contra **Jansenistas** (cf. n. 50, 51) est *theol. certa.*
2ª pars, contra **Thomistas** (cf. thes. 32) *probabilior* : non negat gratiae efficacitatem in actu primo, de qua in thes. 30.
3ª pars, contra quosdam catholicos (**Thomassin, du Plessis, Tournely,** etc.), qui contendunt de conceptu gratiae sufficientis esse ut nonnunquam producat quosdam actus saltem faciliores, est *certa.*
4ª et 5ª pars sunt *certae.*

Probatur.

220. — 1ª pars : Dat posse relativum.

1) *Document. Eccl.*

a) *Prop. 1ª Jansenii*, B.1092 (966). — Admittit Jansenius omnes homines habere gratiam sufficientem. Attamen quibusdam « deest gratia qua possibilia fiant » aliqua Dei praecepta. Hoc damnatur. Cur ? Quia gratia sufficienti Jansenii, quam omnes homines habent, quaedam Dei praecepta non fiunt possibilia. Cur non fiunt possibilia ? Quia gratia sufficiens Jansenii est *gratia parva, i. e. illa quae dat posse absolutum, non vero relativum.* Ergo contradictoria vera est.

b) *Quesnel* prop. 9-13 B. 1359 (1224) s. ; Pistor. prop. 21 B. 1521 (1384).

2) *S. Thomas* III q. 62 a. 6 ad 3 : « minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et mereri vitam aeternam. » Cf. q. 70 a 4.

Agitur quidem h. l. de gratia justificante, quae tamen, juxta doctrinam Angelici (cf. I. II q. 109 a. 2 et 9) nunquam operatur nisi per actualem ; — atqui haec gratia non semper sortitur effectum suum. Ergo gratia pure sufficiens « potest resistere cuilibet concupiscentiae. »

3) *Ratione theol.* Gratia quae non sufficit in praesentibus subjecti circumstantiis simpliciter non sufficit. Agitur enim de sufficientia gratiae relate ad actum in praesentibus circumstantiis eliciendum.

Caeterum, vide argumenta theseos praecedentis.

221. — 2ª pars. Ejus inefficacia provenit ex sola hominis libertate. Cf. Wirceb. n. 333-335.

1) Ratio inefficacitatis nequit esse in auxilio quod dat potentiam completam.

2) Solus homo peccat ; ergo ratio inefficacitatis gratiae est in solo homine.

3) Arausic. II 23 B. 196 (166).
Valentinum III. can. 2 ad finem. B. 321 (284).

4) « *Perditio tua (ex te) Israel...* » Oseae XIII, 9. Cf. Wirceb. n. 335.

222. — 3ª pars. Qua sufficiens, nunquam agit. Cf. Wirceb. n. 336-338.

1) ex definitione gratiae pure sufficientis. Gratia sufficiens est illa quae semper caret effectu.

2) gratia pure sufficiens esset monstrum si (ut volunt Jansenistae) carentia effectus proveniret ab ipsa potentia et antecedenter ad resistentiam accipientis ; non, si caret effectu consequenter ad exercitium libertatis.

223. — 4ª pars. Est beneficium materiale, i. e. quatenus in se est aliquod bonum accipienti. — Van der Meersch n. 304, 305 ; Wirceb. 343.

1) Alex. VIII prop. 6 B. 1296 (1163).

2) De se est donum, naturae utile et indebitum, inclinans ad bonum, dans potestatem expeditam operandi salutariter.

Caret effectu ex malitia hominis, qui non vult assentiri.

224.—5ª pars.Beneficium formale. Van der Meersch l.c.; Wirceb. 344.

Beneficium formale, quatenus conceditur ex amore Dei erga homines :

1) Si consideratur in signo priori ad scientiam qua Deus praevidet illam carituram effectu : confertur ex voluntate antecedenti seria, etsi condicionata, omnes salvandi.

2) Si consideratur in signo posteriori ad hanc scientiam : praescientia de non consensu non tollit rationem beneficii : Deus gratiam pure sufficientem largitur non *quia* sed *quamvis* praevisam inefficacem.

N. B. Eadem difficultas est de libero arbitrio : Deus dedit liberum arbitrium omnibus, licet praeviderit damnationem multorum inde secuturam.

225. — Object. contra 1ªm part.Wirc.330. 1) (Ex S.Aug. *De Gr.et lib.arb.* cap.17,n.33, M. 44, 901). Datur *gratia parva* cum qua possumus bonum velle, sed actu perficere non possumus : *dist.*dicitur parva quatenus non dat nisi posse absolutum, *nego*, licet det posse relativum, *subd.* quatenus hoc posse non est proximum sed remotum, *conc.*, etiam si daret posse relativum proximum, *subd.* dici potest parva in sensu Aug., comparata cum efficaci, quia sc. manet pure suffic. *conc.*, in sensu Jans., *nego*.

2) Delectatio coelestis non potest esse *relative sufficiens* quando delectatio inclinans ad peccatum est longe intensior, ut contingit, v.g. in consuetudinario. — *Resp.* negando suppositum : quasi gratia nequeat vincere oppositam concup. nisi quando eam gradibus superat. Lege Wirc. ad inst. 1 quoad 2um voluntas per gratiam excitata et roborata est *active* indifferens ; potest, si velit, etiam intensiorem inclinationem terrenam superare vel proxime, vel remote.

3) Cum potentia relativa faciendi bonum bene stat necessitas peccandi quam asserit Aug., i. e. non quidem physica determinationis intrinsecae, sed moralis, sc. magnae inclinationis ad peccandum ; vel etiam peccandi, sc. metonymice, patiendo motus indeliberatos.

Object. cont. 4am et 5am partem solvunt Wirc. 334. 1) Deus insidiaretur saluti hominum. R. *Dist.*, si conferret gratiam suffic. qua et quia praevisam ineff.,*conc.*, si... quamvis praevisam ineff., *nego*, 2) qui confert alteri bonum de se quidem utile, sed quod praevidet cessurum in alterius damnum, is non habet animum vere beneficium... R. si damnum illud sit directe vel indirecte voluntarium conferenti,*conc.*, secus, *nego*.—Deus non tenetur impedire absolute peccatum ; tenetur tantum conferre homini veram potestatem illud vitandi. — 3) Qui serio intendit finem, ea media, si potest, confert quae praevidentur efficacia.— R. *Dist.*, si intendit finem serio *et* illimitate, *conc.*, serio, non illim, *nego*.

Thes. XXIX.— Gratia sufficiens ea tantum est qua tribuuntur omnia auxilia requisita non tantum ad posse, sed etiam ad operari.

Wirceb. n. 326-332 ; 264, 269 ; Pesch, n. 229-241 ; Billuart, D. 5 a. 4 ; Guillermin, Rev. Thomiste 1902 (t. X) p. 377-404 ; vide etiam p. 60-76 systema Molinae ; Pascal, 2e Provinciale. Cf. Petitot, Rev. Thom. 1910 (t. 18) p. 577-590.

226.—**St.Q.** — Ex thesi praecedenti habemus gratiam sufficientem dare τὸ posse etiam relativum ; nunc **contra Thomistas** probabimus, gratiam sufficientem *sufficere etiam ad actum.*

Juxta Thomistas gratia sufficiens confert **tantum posse,** relativum utique, sed **non omnia necessaria ad actum.** Ut voluntas,etiam gratia sufficiente instructa, transeat ad actum secundum, alia gratia requiritur quae est per se et ab intrinseco efficax (praemotio physica). Quae si desit, physice impossibile est ut actus secundus sequatur ; si adest non potest non sequi. Addunt, gratiam efficacem a Deo offerri omni qui gratiae sufficienti non resistit. (Lemos, *Panopl.* t. 4 p. 2 tr. 6 c. 3 ; Cf. Guillermin, p. 394-399). Cf.Alvarez, *De auxiliis* t. 8. D. 73 n. 2 ; Billuart l. c.; Guillermin l. c. (Qui tamen ibid. p. 654 ss. aliam doctrinam tradit, quae, ut videtur, non omni ex parte differt a doctrina Jansenii. Cf. Rev. Thom. t. XI p. 21 ss.)

2° Nos contendimus gratia sufficiente conferri voluntati actum primum proxime expeditum ; nec requiri ullum novum auxilium cujus ope transeat ad actum 2um. Hinc eadem est, physice, entitas gratiae sufficientis et gratiae efficacis ; homo, cum agit, agit per ipsam illam potentiam quam dedit gratia sufficiens ; concursus autem pertinet ad actum 2um, et non est nova gratia. Cfr. Pesch n. 232.

Thesis datur ut *probabilior.*

227. — Probatur.

1° *Ex Scriptura.* — Is. V. 1 sq. Gratia quam Deus dedit populo suo erat sufficiens, et quidem plene et proxime ; nam « quid est quod debui ultra facere ? » ; atqui contulit omnia requisita non tantum ad posse, sed ad agendum : nam, ea collata, Deus exspectat fructus, i. e. opera salutaria. Id non potuit, si praeterea deerat auxilium sine quo impossibile erat opus fieri. — Matth. XI, 21. Tyrii et Sidonii egissent paenitentiam si accepissent easdem plane gratias ac Corozaïtae ; a. in sententia Bañesianorum id nequit esse verum : debuissent praeterea Tyrii et Sidonii accipere aliud auxilium, de se efficax et opus salutare ineluctabiliter inducens ; et vituperantur Corozaïtae quod conversi non sunt per illas gratias (quas non acceperunt), cum quibus solis actualem conversionem componi repugnat ; e. Bañesianorum sententia falsa est. Matth. XXIII, 37. — II Cor. VI, 1 etc.

2° *Ex Traditione.* Sec.Patres et Concilia homines ideo excusationem non habent, quum praecepta Dei non servant, quia datur eis gratia sufficiens ; Trid. VI, cap. 11, B 686 : potest observare praecepta, q. instruitur auxilio sufficiente, saltem ad actu orandum ; praeterea « justificatos.. non deserit Deus nisi prius deseratur » ; e. ante quodvis auxilium ulterius

accipiendum, habet homo id quod sufficit ad actu pie vivendum. — Plura apud Suar. De Gr. IV, c. 2, n. 3 sqq.; de vera intellig. aux. efficacis, c. 17).

228. — 3° *Ratione theologica* (Wirc. 328).

1. Nulla potentia datur propter posse tanquam ultimum terminum, sed propter operari ita ut, data potestate, eo ipso datur actus, quantum est ex parte dantis potestatem.

2. Gratia sufficiens thomistica non est vere relative sufficiens. Nam auxilium per se requisitum ad conjungendam gratiam sufficientem cum ipso actu,

a) vel pertinet ad actum primum, quatenus illum reddens proxime expeditum. Atqui, aut confertur quoties datur gratia sufficiens ; et sic nulla gratia potest esse **pure** sufficiens ; aut non confertur cum ipsa gratia quae dicitur sufficiens ; quae proinde non est **vere** sufficiens,utpote non conferens potestatem proxime et complete expeditam.

b) vel pertinet ad actum 2um ; ergo vel potentia agendi proxima habetur integra sine hoc auxilio, atque hinc sine eo poterit redigi in actum ; vel, si sine auxilio illa nequit redigi in actum, nec potentia agendi proxima, neque gratia vere sufficiens aderit ». (Wirc. l. c.) ; sc. **nulla datur gratia vere sufficiens nisi quae est efficax.**

3. In sententia Bañesiana homini non potest imputari omissio actus salutaris. *Prob.* Eatenus tantum posset imputari quatenus praedeterm. non negatur homini **nisi propter ipsius culpam.** Billuart, *de Gr. Diss.* 5 a. 4, in obj. 1^{a} ad inst. « *hominem privari gratia efficaci quia, peccando, sufficenti resistit* » ; Alvar.l. c. D. 113, n. 10 ad 1um, p. 743. « *Deus... tribuit de facto cuilibet homini auxilium intrinsecum et supern^{e} suffic., quo credere potest paratus ei dare auxil. efficax, nisi eidem auxilio impedimentum praestet* ». Cf. D. 18. 20, 80, n. 6.

229. — Atqui haec doctrina, in se vera et certa — consistere nequit cum principiis scholae Bañesianae : quia juxta haec principia nequit assignari ullus locus exercitio libertatis inter gr. suff. et collationem auxilii praedeterminantis.

Prob. 1° **Non usus aliquis libertatis positivus ;** nam fieret a) vel *per actum naturalem* et hoc non : quia sic homo se disponeret positive ad infallibilem gratiae efficacis collationem per actus mere naturales, et seipsum discerneret (Semipelag.).

Dices : posito malo usu libertatis gr. praed. negatur ; posito bono usu non confertur necessario. — Resp. **ergo non est in potestate electiva hom. quod habeat gr. effic.** ; ac proinde gratia suff. Bañesiana non confert potestatem boni operis proxime expeditam.

b) vel fieret *per actum supern^{em}* qui sit fructus gratiae suff. ; — et hoc non, quia sic vel debent admittere nobiscum, quod gratia de se repudiabilis determinatur per consensum voluntatis ; vel debent docere cum Jansenio quod omnis gratia interior est semper efficax, vel quod verum est utrumque membrum hujus contradictoriae ; **ideo Petrus efficaciter**

praemovetur ad credendum quia non opposuit obicem gratiae ; ideo non opposuit obicem quia efficaciter praemovetur ad credendum.

2° **Non usus aliquis libert. negativus :**

a) nec per puram omissionem, qua quis neque consentiat neque dissentiat, sed libere nihil agat : nam juxta eorum principia, haec non potuit nec vitari, nisi per actum positivum qui supponit praedetermin., nec esse nisi ratione negatae praedeterminationis praevia.

b) nec per actum resistentiae positivae : nam resistere gratiae est eidem dissentire, quod non fit sine praedeterm. praevia.

c) nec per non-resistentiam : non resistere gr. suff^{i} est eidem consentire, sc. elicere illum ipsum actum ad quem datur gratia sufficiens, et fieri nequit absque auxilio praedeterminante.

230. — Objectiones (Wirc. 331 sq.)

1. Nihil differret gratia sufficiens a gratia efficaci.

Resp. Diff^{a} est quia gr. efficax dat potestatem ad agere *actu* influentem et operantem; hinc praecipue dicitur, ratione actus ultimi dare velle et operari (undenam hab efficacia ? explic. proponent theses sqq.). — Gratia sufficiens ita confert potestatem cum omnibus requisitis ad operandum, ut tamen non afferat secum operationem aut voluntatem actualem. Hinc potest aliquo vero sensu dici de ea quod dat posse, non agere, quatenus, licet *de se* det agere, illud de facto non praestat (Suar. de Gr. IV, c. 2. n. 11).

2. Plura requiruntur ad actu agere, quam ad posse agere ; ergo collata gratia quae dat integrum posse, proinde *vere suffe*, deesse potest aliquod requisitum de se necessarium ad actu agere (Wirc. 331).

Resp. Dist. A... quam ad posse agere remotum c. proximum *subd.* plura requiruntur *formaliter* et ex parte actionis... C. *principiative...* n,

3. Ut gratia sit vere sufficiens plus non requiritur quam ut det actum primum proximum.

Resp. dummodo includat, praesupponat, aut inferat omnia principia aut requisita necessaria ad actum 2um *Conc.*; sin. minus *Neg.* (Cfr. supra, arg. 3um).

4. Oculus est vere sufficiens ad videndum etsi actu nunquam videat sine lumine illuminante ; panis est vere sufficiens ad nutriendum etsi actu non nutriat nisi masticatum digestum etc.

Resp. Haec est sufficientia remota C. proxima N. vel *subd.* quoad principia intrinseca C quoad omnia requisita N. (vide Wirc. 331). — Caeterum adverte, cum Pesch, n. 238, hic exemplis nihil confici. « Volunt enim Bañesiani explicare quomodo gratia sit sufficiens, quamvis per eam voluntas non sit principum eliciens ex parte subjectiva instructum omnibus quae requiruntur ad actu agendum ; et ad hoc explicandum afferunt exempla agentium quibus nihil deest ex parte principii operativi, sed deest solum materia circa quam agant.. »

5. Juxta nos gratia ad operandum salutariter concessa est vere sufficiens, licet requiratur praeterea concursus ; — atqui eadem videtur esse conditio auxilii praed. a neothomistis requisita ; e. gratia neothom. est vere sufficiens.

Resp. a) C. maj.; neg. min. — b) dist. maj. licet requiratur concursus ad *actu* operandum salutariter *conc.* ; ad potentiam relative et proxime sufficientem *subd.* requiritur concursus paratus et oblatus *neg.* — Is praesto est cum ipsa gratia sufficiente, tq^{m} essentiale ejus elementum ; — actu praestitus *conc.*— Ut autem actu praestetur, id pendet ab ipso homine.

6. Non magis cum nostra gratia suff^{e} quam cum Bañesiana potest elici consensus salutaris, absque novo auxilio actum 2um inducente. — Nam gratia sufficiens, ut distincta ab efficace, includit negationem consensus ; — Atqui tam impossibile est operari cum auxilio includente negationem consensus, quam sine praedeterm. physica.

Resp. Dist. Maj. — negationem consensus, i. e. potentiae praestandi consensum *neg.* consensus actualis, *subd.* includit hanc negationem *per se* et in recto *neg.* per accidens et

in obliquo, *subd.* antecedenter ad libertatis exercitium *neg.* consequenter *conc.* — *Contrad. min.*

7. Ex. S. Thoma. a) Ex eo quod docet praeter facultatem et possibilitatem agend requiri auxilium quo Deus det ipsam operationem sc. interius operando seu movendo et instigando facultatem ad bonum (cf. 1. 2. q. 109. a. 1 et 2 ; in epist. ad Ephes. cap. 3, lect. 2). — Resp. : *Dist.* movendo per praedetermin. N. per actus indeliberatos. C.

b) 2. 2. q. 2. a. 5 ad 1 Deus denegat quibusdam auxilia gratiae « in poenam praecedentis aut saltem originalis peccati » ; quae verba sunt Aug. de corr. et gr. c. 5. 6.— R) agitur de gratia efficaci, specifico sensu N. de praecise sufficiente C. vel subd. sensus est hanc non omnibus conferri, actu et proxime sufficientem C. non omnibus conferri, remote sufficem, et offerri proxime suff., si faciant quod in se est N.

c) C. G. III, c. 159 « illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiae impedimentum praestant » ; quod dicit non fieri sine eorum culpa. — *Resp.* Agitur de gratia suff. actu collata, vel de deneganda gratia efficaci N.; agitur de receptione gratiae in genere, cui homo possit ponere impedimentum *subd.* per resistentiam gr. suffi praesenti N. (de hoc tacet) ; generatim concipiendo voluntatem pravam C.

231. — Corollarium. Gratia sufficiens, igitur, physice consistit in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiae adjuvantis (Wirc. 329, 332. Cfr. 264, 269). Haec sunt :

1) Vocatio gratiae excitantis (illustratio et sancta affectio) actu recepta.

2) principia auxilii adjuvantis, sc. a) in justis, habitus b) in non justis, Sp. S. extrinsece assistens et paratus ad concurrendum (juxta Suares.).

3) ipse actualis influxus principii supis, ut oblatus. — Idem dic de concursu generali.

§ 2. Gratia efficax.

Thes. XXX. — Gratia efficax jam in actu primo, i. e. antecedenter ad consensum absolute futurum, ita cum consensu salutari conjungitur ut eo frustari nequeat.

232. — St. Q. 1) Triplex quaestio distinguenda : (Cf. Billot p. 147 ss.)

a) **Circa vim effectivam gratiae in actu primo :** utrum sit gratiae intrinseca ? Affirmative,est intrinseca tum gratiae efficaci tum gratiae pure sufficienti.

b) **Circa efficientiam gratiae in actu secundo** (i.e. ipsum actum salutarem) : venitne a vi intrinseca gratiae,an a volitione hominis? Siquidem,juxta nos, gratia non determinat voluntatem, haec efficientia venit ab hominis voluntate libera,gratia tamen concurrente.(Eodem modo inefficacia gratiae in actu secundo tribuenda est hominis libero arbitrio.)

c) **Circa infallibilem connexionem gratiae cum consensu,** undenam veniat ? *Haec est quaestio nostra.* Respondemus : venit primario ab ipso Deo quatenus infallibiliter praevidit consensum absolute futurum, non tamen quatenus praevidit consensum futuribilem.

Quae sententia ut sit clarior, **haec tria signa rationis distinguantur :**

— α) *possibilis est gratia A, et possibile est Petrum huic gratiae consentire*, quam possibilitatem Deus videt in scientia simplicis intelligentiae : de nexu autem inter utramque in hoc signo nihil cognoscit.

— β) *Si do gratiam A, Petrus praestabit consensum* (= futuribile). Hanc veritatem Deus videt in scientia media. Ergo ante consensum praevisum futurum, *non vero ante consensum praevisum futuribilem*, certa et infrustrabilis est connexio gratiae A cum consensu Petri, et ut talis a Deo cognoscitur. Ergo gratia efficax est in actu primo. (thes. 30)

— γ) *Do gratiam A. Petrus consentit.* Hoc Deus videt in scientia visionis. Undenam provenit efficacia gratiae A in actu secundo ? A consensu Petri, quem Deus praevidit. (Cf. thes. 34.)

2) Quid sit scientia media, futuribile, etc. Cf. de Regnon. *Bañez et Molina* p. 110-113. et tractatum De Deo uno.

3) Existentia gratiae efficacis nimis evidens est quam ut probatione indigeat.

233. — 4) Doctrinam in thesi propositam tuemur non tantum quia vera est et catholica, sed etiam popter decretum Patris Claudii Aquaviva, 4 Dec, 1613. Textum decreti habes apud Schneemann (Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitii concordia p. 303), et Mazzella n. 718.

De hoc decreto Cf. et *de Meyere*, *De auxil.* i. 6 c. 31 ; *Pesch* n. 290 ; *de Règnon*, l. c. p. 126-133 ; *del Prado* III p. 341 ss.; *Mazella*, De gratia n. 717-720.

Perperam omnino auctoritatem decreti *quatenus imponit efficaciam gratiae in actu primo*, rejicit P. de Régnon. Declaravit utique P. Piccolomini (Schneemann p. 305) non fuisse mentem Patris Claudii decernere praedefinitionem formalem esse docendam in Societate. Qua vero parte imponit efficaciam gratiae in actu primo, nihil decreto denegatum est.

Falsum est etiam, quod dicit idem P. Régnon, Molinam hanc efficaciam gratiae in actu primo rejecisse. Rejicit utique praedefinitionem formalem ; sed praedefinitio formalis negari potest quin negetur efficacia gratiae in actu primo. (Cf. argument.) Clare vero efficaciam gratiae in actu primo docet in ipsa Concordia q. 14. a. 13 D. 21 (cf. Lethielleux p. 120) cf. et g. 14. a 13 D. 52 (p. 318).

Probatur thesis.

234. — 1) *Ex dogmate catholico.* **Qui negat efficaciam gratiae in actu primo, rejicit dogmata sequentia :**

a) **de Deo** : Deus est causa discretionis (Cf. thes. 4) ; Atqui si gratia efficax est tantum in actu secundo, ideoque unice ex acceptatione voluntatis creatae, ipsa voluntas creata facit gratiam efficacem, ideoque ratio cur actus salutaris ponatur est voluntas creata.

b) **de gratia** : ipsa facit ut faciamus, ideoque, qua efficax, est beneficium speciale. Atqui si gratia efficax est tantum in actu secundo, nos facimus ut gratia faciat. (Semipelagianismus).

c) **de homine** : sine gratia divina nihil potest in ordine salutis. Atqui si.., multa posset in ordine salutis sine gratia. Siquidem ipsa efficacitas gratiae esset a solo homine.

Ex hoc primo argumento jam apparet thesim enunciare *doctrinam catholicam.*

2) *Ex ratione.* Ipsa existentia scientiae mediae thesim demonstrat. — Vera est haec propositio conditionalis : si daretur haec gratia, homo consentiret vel non. Hinc ante consensum praestitum, imo ante consensum praevisum futurum, Deus effectum, et proin efficaciam, hujus gratiae novit et amat. — Ergo jam ante consensum praevisum futurum connexio adest inter gratiam et consensum.

235. — 3) *Ex difficultatibus Thomistarum* contra Molinismum. Cf. Wirceb. n. 362 et 364. Quae difficultates saltem probant efficaciam in actu primo.

4) *Ex refutatione praecipuae objectionis.* Efficacia in actu primo esset derelinquenda quia ex illa sequeretur vel determinatio physica, vel praedefinitio formalis ; atqui neutrum.

Probo : non determinatio physica. Etenim, juxta nos, efficacia gratiae in actu primo *extrinseca* est motui ipsius gratiae.

non praedefinitio formalis. Etenim Deus gratiam efficacem largitur *qua* efficacem, non *quia* efficacem, i. e. non propter ipsam efficaciam, sed propter alium finem.

5) *Clara est doctrina Scripturae et Patrum.*

Rom. IX, 18 sqq. cf. n. 294 sqq.

St. August. *De corrept. et gratia c. 14 n. 45* M. 44, 943 ;
Enchir. c. 98 M. 40, 277 ;
De Praedest. Sanctorum c. 8 n. 13 M. 44, 971.

Thes. XXXI. — Cujus connexionis ratio nequit catholice repeti neque cum Calvino ex entitate auxilii motione sua voluntatem necessitantis, neque ex delectatione coelesti relative victrici ad mentem Jansenii.

236. — **St. Q.** Thesis est *de fide.* Doctrinam Calvini et aliorum Novatorum jam exposuimus n. 37 ; it. et doctrinam Jansenii n. 52.

Probationem habes in thesi 5_a, ubi contra Novatores et Jansenium stabilivimus dogma fondamentale libertatis humanae etiam in sensu composito gratiae efficacis.

Thes. XXXII — Formalis efficacia gratiae neque satis tuto explicatur per praedeterminationem physicam Bañezianam, propterea maxime quod ea videtur perimi libertas arbitrii, ideoque cum doctrina Tridentini VI cap. 5 et can. 4 nonnisi aegre cohaeret, refunditque in Deum auctorem peccata hominum et aeternae salutis jacturam.

Cf. Mandonnet, *art Bañez. DTC.* Monsabré, *23ème conférence* (1876) t. 6 p. 215 ss. ; Janvier, *1910, 4e confér.* p. 20-28. Guillermin *Rev. Thom. 1902 (t. 10) p. 380 ss.* de Régnon, *Bañez et Molina* ; Billot p. 147 ss. Van der Meersch n. 314, 315 ; Gutberlet-Heinrich t. VIII § 446 Schneemann *l. c.* ; Paquier, *Le Jansénisme, 5e leçon.*

St. Q. Rejecta doctrina haereticorum, controversiam cum Catholicis aggredimur. Thomistarum sententiam de natura gratiae sufficientis refellimus thes. 24, nunc igitur non nisi de gratia efficaci disputabimus, licet rejecta eorum gratia sufficiente jam totum systema, ideoque et quae de gratia efficaci proferunt, aliquo modo sint labefactata.

237. — Systema Bañezianum exponitur.

Principium fundamentale : doctrina metaphysica de actu et potentia. **Omne ens vel est efficaciter motum a Deo, vel est Deus : medium non datur.** Hinc nulla creatura potest se determinare ; liberum igitur arbitrium creatum nequit definiri potentia sese determinandi.

Quo posito ita explicant efficaciam gratiae. Infallibilis gratiae connexio cum actu secundo pendet :

1) *Remote* et in radice « ex omnipotentia Dei atque ex absoluto et efficaci decreto voluntatis ejus, volentis ut homo quem movet » faciat tale opus determinatum (Alvar., *de Auxiliis*, D. 122, n. 16). Hoc decreto Deus praedefinivit ab aeterno omnes actiones liberas in tempore futuras, independenter a creaturae meritis et antecedenter ad praevisionem ejus consensus conditionate futuri. — Quoad libera conditionate futura sub conditione nunquam ponenda, haec decreta sunt subjective absoluta, sed objective conditionata.

2) *proxime* vero efficacia gratiae reponi debet in aliqua motione praevia — in voluntate recepta — qua Deus ipsam intrinsece mutatam physico influxu movet et subjective determinat ad actum salutarem libere eliciendum ; quam motionem recte explicant nomine **praedeterminationis physicae.**

238. — II. Quid sit Praedeterminatio physica ?

1) ad exsequendum suum decretum Deus utitur *motione praevia ;* nam « *nulla causa potest operari nisi sit efficaciter a prima determinata* » (Bañez, in I, q. 14, a- 13, p. 216 B). Non potest concipi nisi ut praevia actui creaturae — prior natura et causalitate — « quia motio et applicatio virtutis activae ad agendum est prius natura quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur praevia motio, sive praemotio » (Goudin, *Phil.* p. IV, D. q. 3, a. 2) ; nec debet confundi cum concursu simultaneo, qui in ipsam operationem seu in actum 2um creaturae cadit.

2) recipitur in ipsa voluntate ; nam actio est in passo ; et pro officio habet voluntatem educere e sua indeterminatione. « *Ex physica Dei praedeterminatione extrinseca per evidentem consequentiam infertur physica praedeterminatio intrinseca voluntati creatae inhaerens, per quam Deus in tempore efficit ut voluntas libere et infallibiliter operetur actum a Deo praedeterminatum* ». (Alv. l. c. D. 23. p. 188).

3) Hic influxus est physicus et subjective determinans ; nam indetermi-

natio facultatis non est solum objectiva (quae tollitur per motionem moralem) sed etiam subjectiva, respectu actus 2i, etiam posita excitatione per actus indeliberatos. Haec non potest tolli nisi « *praedeterminatione physica qua ex parte potentiae efficienter proprie movetur a Deo voluntas ad aliquid volendum* » (Alvar. l. c. D. 22. n. 1. p. 145). Hinc appellatio « *physica* » non significat solum quod praestat facultati vires physicas ; sed quod « *a propria essentia et ab intrinseco est efficax, independendenter a quocumque creato consensu* » (Gonet. *Clyp.* t. I, tr. IV, D. 8, n. 67.)

4) Quare recte dicitur **praedeterminatio physica.** — Vocabulum, primo a Bañez usurpatum in aliquo scripto contra Molinam, ann. 1595, unanimi plausu receptum est a prioribus Bañesianis, ut quo sua doctrina egregie exprimeretur : « *quia vero Deus non modo caeco movet secunda agentia, sed prudenter ac certo et destinato consilio, intelligens, cognoscens volensque hanc determinatam ac peculiarem actionem quam aliam, atque adeo efficit vere ac realiter ut causa secunda hanc determinatam actionem eliciat : hinc factum est ut hujusmodi motio, nedum praemotio, sed etiam praedeterminatio physica dicta sit, ut omni ex parte modus causalitatis ipsius exprimatur* ». (Reginald. apud Limburg. Zeitschr. für kath. theol. 1877, p. 169) — Approbat Suarez, *De vera intell. aux. eff.* cap. ultim. » *Si res vera est, non male per illud nomen explicatur... Valde igitur nobis placet ; multumque desideramus ut sub illa eadem, an dogma illud tenendum sit vel abjiciendum, Ecclesia declaret.* »

III. *In ordine ad actus salutares praedeterminatio physica est ipsa gratia per se efficax* — quae distinguitur entitative a gratia sufficiente — et habet cum actu salutari connexionem infallibilem « *non solum infallibilitate praescientiae... sed causalitatis* » *et quidem antecedenter et inimpedibiliter determinat liberum arbitrium ad unam numero actionem ei non subditur libero arbitrio quantum ad usum.* (Alvar. l. c. D. 19 n. 7).

239. — Utrum praedeterminatio phys. sit qualitas vel aliquid aliud ; utrum pertineat ad actum primum an ad actum secundum, an vero intermedite inter utrumque ? Controvertitur inter Bañezianos.

Omnes vero conveniunt in hoc : praemotio physica **saltem causalitate antecedit actum voluntatis, cum qua praemotione physica repugnat talem determinatum actum non poni.** Hoc nos rejicimus ut *minus tutum dogmatice* et *minus probabile philosophice.*

240. — Probatur.

I. Perimit libertatem.

A) probatur positive.

Ubi inimpedibilis determinatio ad unum, ibi nulla libertas ;

atqui praedeterminatio Bañeziana inimpedibiliter determinat voluntatem ad unum ; ergo...

ad min. « *Minor constat, quia fatentibus etiam adversariis, in sensu compositio praedeterminationis non habet voluntas in sua potestate, non dico tantum*

exercitium, sed nequidem specificationem actus. Insuper cum praedeterminatio ipsa in potestate liberi arbitrii non existat, sequitur evidenter, nihil omnino remanere in dominio voluntatis. Nam omnis distinctio inter sensum compositum, ut aiunt, et sensum divisum, frivola videtur et materialiter falsa. — Videtur, inquam, frivola, quia tunc tantum necessitas quam infert sensus compositus non officit libertati, quando voluntas habet in sua potestate illud ipsum in cujus sensu composito actus evadit necessarius ; quando autem istud in potestate voluntatis non est, manifestissime libertas tollitur. Sic exempli causa, Socrates currens, in sensu composito cursus quiescere omnino non potest ; et nihilominus, quod non quiescat, liberum ei est atque imputabile, quia cursus cum quo quies componi nequit, in potestate est voluntatis ejus. Nunc autem, suppone hominem ligata habentem et pedes et brachia, cui persuaderes esse in ejus potestate ambulare vel non ambulare ! Quid si urgeres dicens, ipsum equidem non habere in potestate sua ambulationem in sensu composito vinculorum, habere tamen in sensu diviso ! — Neque solum frivola videtur explicatio, sed et materialiter falsa quando dicunt voluntatem in sensu quidem composito praedeterminationis non posse non facere id ad quod determinatur, in sensu vero diviso **posse non facere.** *Nam hoc ultimum nequaquam concedendum est, cum rei veritas habeat, voluntatem in sensu diviso praedeterminationis* non posse facere *id ad quod non est praedeterminata, loquendo nunc in principiis adversariorum. Atqui aliud omnino est* **non posse facere,** *aliud vero* **posse non facere** , *sicut valde diversa sunt, non posse mori et posse non mori.* » (Billot, *De Deo Uno p. 201.* Cf. Eminentissimi auctoris tractatum *De gratia Christi p. 151 sq.)*

De sensu composito et sensu diviso. Cf. Van der Meersch n. 315 (p. 304) ; Guillermin, Rev. Thom. 1902, p. 387 ; Gonet IV D. 9 a. 4 ; Hurter n. 117. Suarez, *De Grat. Prol.* I c. 6 n. 4.

241. — **Ad maj.** Etiam in majori obtrudunt Thomistae suam distinctionem de sensu composito et sensu diviso. Quicumque vero rem attentius perspexerit facile videbit eos ideo hanc distinctionem afferre **quia non admittunt libertatem indifferentiae,** scil. non admittunt esse de ratione liberi arbitrii ut positis omnibus praerequisitis ad agendum voluntas possit agere vel non agere, facere hoc vel aliud. **Inter Molinam et Bañezianos quaestio igitur est de ipsa definitione liberi arbitrii.** Concedunt utique Bañeziani libertatem formaliter esse in voluntate, illamque excludere non tantum coactionem, sed etiam necessitatem (contra Jansenistas) ; at, contra nos docent necessitatem agenti libero illatam **a Deo** non tollere libertatem, et ita quidem extollunt partes intellectus **ut libertatem intellectui tribuere videantur.** Stante judicio indifferenti, aiunt, implicat voluntatem necessitari. Ergo posito hoc judicio, nulla praedeterminatio, quaecumque sit, evacuare potest libertatem. Addunt alii : etiam posita praedeterminatione divina, voluntas manet facultas boni universalis, ergo ad nullum bonum creatum determinata, ergo libera.

Cf. Guillermin, *Rev. Thom. 1902 p. 387 ;* de Munnynck, *Rev. Neo-Schol. 1901 p. 385 ;*

Janvier, *carême 1904 p. 112-116.* Billuart, *De act. hum. D. 2 a. 5 ;* Alvarez, *De auxiliis D. 115 n, 7 ; D. 116 n. 9 ;* Bañez *I q. 19 a. 10.*

242. — Quid respondendum ? Ne resumamus argumenta quibus in philosophia libertas indifferentiae probatur, sufficiat hic notasse :

1) definitionem liberi arbitrii quam nos tradimus, esse receptam *practice* ab omnibus, etiam a Thomistis, et *theoretice* ab omnibus qui non propugnant vel determinismum, vel Bañezianam.

Cf. d'Hulst, *Confér. 1891, 3e confér. p. 102 ;* Sully-Prudhomme *Psychologie du libre arbitre,* Rev. de Métaph. et de Mor. 1906 p. 479, Mercier *La liberté d'indifférence et le déterminisme,* Rev. Neo-théol. 1904 p. 17.

2) Illam esse fundatam in Traditione catholica.

Cf. S. Iren. *Haeres. 4, 4. 3* M. 7, 983. — Tertull. *Adv. Marcion. 2, 52* M. 2, 290 (Cf. d'Alès p. 269).— S. Gregor. Nyssen. *Catech. 30* M. 45, 77. — S. Cyrill. Alex. *In Joann. l. 9* M. 74, 278 D.

Textus alios vide thes. 5ª n. 76. — De S. Augustino et S. Thoma Cf. Schol. n. 276-278.

3) Doctrinam Thomisticam de praedeterminatione esse valde affinem doctrinae Bradwardin, magistri Wicleffii.

Cf. Portalié, DTC. « *Augustinisme* » *2537 ss.*; Hahn, *Thomas Bradwardinus und seine Lehre von der menschlichen Willensfreiheit ;* Duplessis d'Argentré *I p. 323 ss.*

4) Neque satis recedere videtur a determinismo Leibnizii. Cf. Leibniz, *Theodicée* éd. Janet n. 320 ; Mercier *l. c. p. 8.*

243. — B) probatur negative praecludendo Bañezianorum effugia.

Dicunt 1° Praedeterminatio se tenet ex parte actus 2^i, non vero actus 1^i ; e. non officit libertati. Cfr. Wirc. 328 1ª p. ; 331, inst. 1 et 3.

Resp. a) neg. Antec. — potius se tenet ex parte actus 1^i.

b) *Dist.* ex parte actus 2^i formaliter spectati N. efficienter spectati c. vel *subd.* sic ut sit in potestate voluntatis sive eam habere sive se dividere ab ejus influxu N. sic ut *causalitate* prior inducat actum necessario et inimpedibiliter C.

Dicunt 2°. Voluntas etiam sub motione praedeterminationis, v. g. ad amorem, retinet proximam potestatem non-amoris, licet retenta praedeterminatione nunquam actuanda — nec actuabilis (sc. ut ait Billuart, adest simultaneitas potestatis, licet non potestas simultaneitatis).

Resp. praeter statim (in 2° arg.) dicenda, 1° talis potestas reperitur etiam in agente non libero ; 2° etiam beatus videns Deum, dum ex visione amat Deum, servat potentiam non amandi *sublata visione* ; et tamen est amor necessarius ; 3° revera in ista hypothesi, voluntas non habet in sua potestate (electiva) neque non actum neque actum, siquidem non habet in sua potestate *neque ponere neque auferre praedeterm. cum qua necessario nectuntur non-actus vel actus* ; 4° neque tandem voluntas habet potentiam *simultanee proximam* et expeditam agendi et non agendi, in quo stat exercitum formale libertatis.

Dicunt 3° Necessitas per praed.inducta non est absoluta, sed tantum ex suppositione.

Resp. Dist. ex suppositione consequente usum libertatis humanae N. divinae *subd.* et proinde actus voluntatis potest denominari liber extrinsece, per respectum ad actum liberum Dei *tr.* ut exit ab ipsa voluntate humana N.

Dicunt 4°. Praedeterminatio infert indeclinabiliter actum consensus non praecise ut est entitas aliqua creata (sic tolleret libertatem), sed solummodo *ut est instrumentum Dei* et sic manet libertas, quia non necessitat vol. nisi juxta exigentiam suae naturae.

Resp. Deus non potest nec per se nec per instrumentum quodvis ea quae implicant contrad. — Atqui Thomistae statuunt haec duo intrinsece contrad. sc. a) ut voluntati relinquatur vera electio et electionis hic et nunc possibilitas(usus libertatis); b) ut in eodem signo et simul voluntas existat determinata antecedenter et inimpedibiliter ad eliciendum hunc singularem actum.

Dicunt 5o. Manet libertas, quia ille actus licet necessitate ineluctabili e praedeterminatione consequens, *elicitur sub judicio indifferente*; atqui « implicat voluntatem stante judicio indiffe. necessitari » (Billuart,. de act. hum. D. II, a. 5).

Resp. Dist. Maj. elicitur sub jub. indiff. sic ut voluntas sinatur agere secundum suum connaturalem modum agendi quem postulat haec ipsa indiffa obja judicii N. — sic ut connaturalis iste modus agendi destruatur per motionem inimpedibilem quae intermediat inter judicium et actum C.

Contrad. min. implicat voluntatem... necessitari, si integer servatur connaturalis ejus agendi modus C. si non integer N.; Porro non videtur posse negari quod voluntas possit etiam sub judicio indiff. necessitari, saltem a Deo. — (Cfr. De Ver. q. 22. a 8). Caeterum, si id negas, eo ipso negabis possibilem esse praedeterm. bañesianam ad actuandam causam ut libere agat.

Dicunt 6o. Necessitas inducta non est intrinseca, sed solum extrinseca. — *Resp.* et hoc sufficit ut actus sit spontaneus et intrinsece voluntarius C., ut sit liber N. — Libertas vera et propria arbitrii in agendo, quae ad justam imputationem actionum nostrarum requiritur et sufficit, continetur in hoc quod, positis omnibus ad agendum praerequisitis, voluntas possit agere et non agere, hoc vel illud agere, etiam in sensu composito eorumdem praerequisitorum. Nec aliter homo est vere dominus actionum suarum. Cfr. damn. Baii 39, B. 1039 (919).

Dicunt 7o Licet voluntas non possit se dividere a praedeterm. ea tamen est ipsi saltem virtualiter libera; nam specificatur a voluntate eam recipiente, quatenus voluntas non potest eam recipere nisi ad modum suum, sc. ut est libera.

Resp. Dist. specificatur a vole ut a causa materiali vel finali C., ut a causa efficiente N. vel : *subd.* si praedeterm. esset aliqua motio Dei mere cooperativa, vel physica quidem et praevia, sed indifferens C., si causalitate ineluctabili inducit actum N.

Dicunt 8o. Actus est liber quia efficacia divinae virtutis producit non solum substantiam actus, sed etiam modum libertatis. *Resp.* vide supra ad 4um. — Praeterea, libertas actus non est aliqua physica entitas distincta ab ipsa substantia actus qua voluntarius procedit a facultate agente, ita ut habeat simul potestatem proxime expeditam non agendi vel agendi aliud. Ergo modus libertatis non potest esse terminus actionis divinae distinctae ab ea quae concurrit ad substantiam actus; — nec Deus potest facere etiam per suam omnipotentiam ut habeatur actus liber nisi positis conditionibus e quibus resultat illa duplex potentia agendi et non agendi.

Dicunt 9o : Concordia libertatis humanae cum praed. est mysterium non intelligendum, sed credendum (Bill. *de Deo*, D. 8. a. 2. 34 ad 5; Alv. D. 118, n. 5. Bañez. *in 1. 2.* q. 23. a. 5).

Resp. est mysterium a Deo revelatum N. a Bañesianis inductum et contradictionem involvens C.

244. — II. Aegre cohaeret cum Tridentino.

Ex Tridentino, gratia quae efficaciter movet voluntatem talis est naturae ut possit repudiari et fustrari consensu. Atqui, juxta Thomistas, talis gratia repudiari nequit : ergo...

Ad maj. agitur revera de gratia quae hic et nunc movet voluntatem,

siquidem sermo est de gratia « cui homo *cooperatur* assentiendo » (can. 4), inspirationem quam *recipit* de facto, posset abjicere (cap. 5). Confirmatur ex doctrina Novatorum contra quos canon dirigitur Cf. n. 37.

Ad min. Docent Thomistae non esse penes voluntatem humanam
vel impedire, seu recusare, praedeterminationem ;
vel dissentire, praedeterminatione movente.

Nec satisfit concilio per potestatem dissentiendi in sensu diviso, quatenus sub motione efficaci manet in voluntate potentia oppositi. Nam potestas dissentiendi quam docet concilium, **debet esse reducibilis ad actum, sub ipsa motione gratiae et absque ullo ulteriori requisito ;** secus est potentia dissentiendi chimaerica qua possum dissentire gratiae tum quando non aderit gratia praedeterminans, — Neque haeretici negabant quod voluntas sub gratia, quam dicebant necessitantem, retineat potentiam non faciendi, remota gratia, id ad quod ipsa datur. — Atque hanc interpretationem postulant verba *tum Trid.* : non possumus actu abjicere gratiam quam non habemus, *tum Vatic.* III, 3, B. 1791 (1640) nos gratiae, cui consentimus, resistere posse ; gratiae autem absenti non resistitur.

Cf. de Meyere : *De mente Concilii Tridentini circa gratiam physice praedeterminantem.*

245. — III. Deus videtur fieri auctor peccati.

Qui libere et indeclinabiliter determinat ad actum peccaminosum, dicendus est auctor peccati.

Atqui, juxta Thomistas, Deus libere et indeclinabiliter determinat voluntatem humanam ad actum peccaminosum ; ergo...

Ad min. Juxta Thomistas :

1) Homo cum gratia pure sufficiente agere nequit, ideoque cum illa numquam peccat.

2) Cum gratia vero efficaci, **quam recusare nequit, homo necessario et inimpedibiliter talem actum determinatum eliciet, ita ut totus et omnis actus humanus sit a Deo determinatus**, et elecitus ab homine sub influxu irresistibilis praemotionis divinae, ita ut illum actum determinatum cavere omnino non possit homo. Sed : nemini imputatur quod vitare non potest !

Nec dicas (cum Guillermin, *Rev. Thom. 1912* p. 402), Deus « *Praedeterminat ad materiale peccati, et non ad deformitatem peccati. Sed contra, quia hoc modo, ne creata quidem voluntas causa peccati unquam dici poterit, cum nulla sit voluntas possibilis quae feratur in malum sub ratione mali. Verum moralis deformitas, sive privatio ordinis justitiae, ei est imputabilis hoc solum nomine, quia voluntas fertur in electionem particularis boni, quae per se involvit defectum moralis rectitudinis. Quare, si Deus est praedeterminans voluntatem ad illud positivum in quo moralis defectus involvitur, eo ipso erit auctor actionis*

secundum ejus deformitatem, ac per consequens, causa peccati qua peccatum est. » (Billot, *De Deo Uno* p. 202).

246. — **Corollarium.** Ergo neque reponenda est efficacia gratiae in decreto Dei actum salutarem condeterminante, simul ac voluntas creata quae in divina voluntate eminenter continetur, seipsam ad eumdem actum ex quadam sympathia determinat.

Ita **Scotistae** quidam. — Rejiciunt entitatem physicam voluntati impressam per modum qualitatis (reductive) qua voluntas determinetur et applicetur. Hanc determ. et applic. tribuunt Deo immediate ; quod potest fieri, vel praesupposita scientia conditionatorum – et sic haec sent[a] accedit ad Molinisticam ; vel, ut volunt quidam, per veram causalitatem qua determinetur voluntas creata — et sic valent contra illos scotistas eadem fere arg. atque contra Bañezianos. Cf. Platel, *De Gratia* n. 504, 585 ; De San, *De Deo Uno* n. 195 (cum nota).

Thesis XXXIII. — Efficacia gratiae neque consistit in entitate auxilii moraliter necessitantis, sive haec necessitas resultet ex delectatione victrici, sive oriatur ex multiplicium auxiliorum conspiratione.

Wirc. 365 ; Portalié *Augustinianisme DTC. 2495-99* ; Quilliet. *Congruisme DTC. 1123 ss.* ; Van der Meersch *n. 316, 317* ; Jungmann n. *197, 198.*

247. — **Praenotanda.** 1° Ponitur thesis contra quosdam catholicos qui respuunt et scientiam mediam et physicam praedeterminationem, volunt tamen ut gratia sit efficax ex se et ab intrinseco. Difficultatem solvunt introducta tali gratia quae *voluntatem necessitet non physice sed moraliter*, cum qua proinde, ut putant, stat creatae voluntatis libertas et divinae scientiae infallibilitas. — Nos non negamus quod dari possit gratia moraliter necessitans ; **negamus autem in tali necessitate reponi posse efficaciam gratiae in actu 1° prout dicit infallibilem connexionem cum actu salutari.**

248. — 2° **Prior modus** proponendi praedeterm. moralem est **Augustinensium.** — Dicunt :

1) gratia actualis (voluntatis) sita est **in sancta delectatione** ; et ea quidem non latius sumpta pro quolibet amore boni (qualem omnes theol. cath. admittunt) ; sed **strictius sumpta** pro amore jucundi, voluptate, dulcedine, quae semper formaliter et proxime sit principium actus salutaris.

2) gratia efficax est delectatio caelestis victrix sive absolute, si deest opposita carnalis ; sive relative, si est prae opposita carnali intensive major, qui est casus longe frequentior (Berti, l. 14, c. 8. n. 5), sc. gradibus intensionis superans carnalem.

3) Haec efficacia est **gratiae intrinseca** ; licet possit eadem gratia esse

in uno efficax, in alio inefficax. — Ita Berti, l. c. ; num satis cohaerenter ?

4) Haec delectatio praevenit omne exercitium libertatis, atque ita movet et determinat voluntatem ut consensus sequatur semper et necessario, licet necessitate morali tantum.

Hunc modum rejicimus in 2ª parte, tanquam non satis consonum cum dogmate catholico.

249.— 3° **Alter modus.—Thomassini et paucorum.**—Wirc. 373, 376) : Efficacia gratiae stat in multitudine, varietate,consonantia et conspiratione plurium auxiliorum quorum singula possunt effectu carere ; at universa sic aggrediuntur hominem, obsident et fatigant, ut ab eo consensum certissime obtineant. Rejicitur ut insufficiens et gratuito assertum. Cf. Quilliet l. c. 1123 n. 5.

250. — Probatur 1ª pars : universim, efficacia gratiae non est reponenda in praedeterm. morali. (Wirc. 365).

1° Actus salutares fierent semper cum magna facilitate : quod est contra exper. et contra scriptur. Matth. XI, 12.

2° In hac sententia gratia pure sufficiens non daret veram possibilitatem moralem, imo nec physicam. — a) non moralem : siquidem delectatio caelestis est gradu inferior.— b) non physicam : nam ubi auxilium est ita necessarium ut sine eo non possit ullus unquam fieri actus bonus, signum est impotentiam esse physicam.

3° Gratia moraliter necessitans vel ita movet ut ejus virtute consensus obtineri debeat instantanee aut in aliquo instanti determinato, et haec est necessitas physica libertati contraria ; — vel relinquit instans consensus indeterminatum, et sic manet quidem salva libertas, sed perit infallibilitas absoluta et metaphysica quam requirit praescientia divina.

Diff. apud Wirc. 366.

251. — Probatur 2ª pars : speciatim non consistit in entitate auxilii necessitantis quae sit delectatio victrix. (Wirc. 369).

1° Retinetur fundamentale principium systematis **Janseniani**, sc. quod **voluntas in statu naturae lapsae semper et necessario sequitur majorem delectationem.**

Atqui a) falsa est suppositio cui hoc princip. innititur, sc. omnem gratiam consistere formaliter in delectatione proprie dicta ; b) ex hoc principio semel concesso consequuntur, logica necessitate, omnia dogmata janseniana.

2° Ex eo quod efficacia gratiae reponitur in *graduali superioritate virium*, sequitur a) quod ille qui caret delectatione victrici caret gratia vere sufficiente, i. e. conferente potentiam proximam et expediam ; b) quod voluntas sub motione delectationis victricis necessitatur non solum moraliter sed physice (Wirc. 369, II, et V). — Nec sufficit quod praesente hac delecta-

tione bonum non proponatur *sub omni ratione boni*, quia ad libert. non sufficit indiff[a] objectiva sed *activa* requiritur (Wirc. l. c. IV).

Obj. apud Wirc. 370-372.

252. — Probatur 3[a] pars *(contra Thomassin.)* : **Neque efficacia gratiae est reponenda in necessitate morali quae resultet ex multiplicium auxiliorum conspiratione** (Wirc. 376).

1° Deus non posset per unicam gratiam in unico instanti obtinere actum salutarem : contra sensum catholic. fundatum in Script., historia, communi doctr. — 2° Vel illud ex pluribus auxiliis, cui tandem consentiet voluntas,est a Deo determinatum... et sic inducitur necessitas physica ; — vel manet indeterminatum... et sic vel admittenda est scientia media, vel divina praescientia caret infallibilitate sibi conveniente ac propria.

253. — Corollarium I. Ergo neque ad efficaciam gratiae sufficit congruitas auxilii cum personae adjunctis extrinsecis aut intrinsecis (contra plures *Scotistas et Ysambert*). — Wirc. 375 « *ratio secundi* ».

254. — Corollarium II. Ergo neque admittenda est illa systematum synthesis qua statuitur **duplex gratia efficax** : altera quae, entitative eadem atque suffiens, fiat efficax ex solo consensu voluntatis et ad opera faciliora datur ; — altera quae sit ab intrinseco efficax et datur ad opera difficiliora. — *Sic Tournely, S. Alphonsus Lig.* et quidam alii. Cf. Portalié l. c. 2496, 2497.

Etenim : 1° Gratia illa entitative efficax patitur omnia incommoda superius relata (nulla suffic[a] gratiae — nulla vera infallibilitas scientiae Dei — nulla vera libertas etc.)

2° quoad gratiam pro operibus facilioribus a) vel admittunt gratiam, quae ex consensu fiet efficax, conferri sub directione scientiae mediae : et jam nulla ratio cur excogitetur altera gratia seipsa efficax ; b) vel id non admittunt : et sic praescientia et providentia Dei illam gratiam conferentis est suspensa, incerta, dependens ab eventu futuro, coeca, etc.

Thes. XXXIV. — Apte vero gratia efficax declaratur, cum schola Societatis, eo quod, quum sic intrinsece repudiabilis, nec ab auxilio vere et pure sufficienti entitative distincta, a Deo decernitur atque confertur sub infallibili consensus condicionate futuri praescientia. « Cujus autem (Deus) miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat ». (S. Aug. *De divers. quaest. ad Simplic.* l. 1 n. 13 M. 40, 119) **« Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est »** (Id. *de Spirit. et litt.* n.60 M. 44, 240). — **Quae doctrina, theologice probabilior, juridice etiam tuta est et in pari saltem condicione atque sententia Bañezianorum.**

255. — *Cf.* de Regnon, *Bañez et Molina* ; Schneemann *l. c.* ; Gutberlet-Heinrich *p. 453-464 ;* Monsabré, *23e confér. p. 226 ss.* ; Van der Meersch *n. 318 ss.* Jungmann *n. 199 ss.* ; Billot. *De gratia p. 151 ss.* ; Molina, *Concordia* ; Suarez *l. 5 c. 25 ss.* et praesertim: *De vera intelligentia auxilii efficacis, ejusque concordia cum libertate voluntarii consensus.* Bellarmin. *De gratia et libero arbitrio l. 1 c. 12. 13. (Cf.* Le Bachelet *Recherches 1911. p. 574-598.)* ; del Prado : *pars tertia* ; Lessius : *De gratia efficaci.*

St. Q. 1) Undenam, in systemate societatis, repetenda sit gratiae certa et infrustrabilis connexio cum operatione salutari in actu primo ?

Repetenda est non ab ipsius gratiae entitate, ut volunt Bañeziani sed **ab aliquo elemento entitati gratiae extrinseco, quod quidem duplex est :**

256. — a) **Primum elementum** desumitur ex relatione quam habet gratia ad actum salutarem. Est connexio gratiae cum actu salutari, consequens ipsius liberi arbitrii cooperantis determinationem secundum quod haec est objectum scientiae mediae. Dicimus **cooperantis,** quatenus voluntas consentit non secundum solas suas vires naturales, sed secundum easdem elevatas et roboratas per gratiam. Hinc non potest consensus gratiae praestitus opponi ipsi gratiae. (Cf. Molina, q. 23 a. 4 et 5 m. 6 (p. 462)).

Supponit haec explicatio :

α) Objectivam futuribilitatem consensus, scil. veritatem hujus propositionis : si confero gratiam X, Petrus praestabit consensum.

β) Deum hanc veritatem cognoscere in scientia media.

Ratione suae connexionis cum actu salutari, gratia efficax potest ac debet dici **congrua,**

α) non solum quia est conveniens vocato et apta obtinere effectum (quod convenit omni gratiae sufficienti).

β) Sed quia **per eam ita homo vocatur ut reapse vocantem sequatur.** Quae congruitas,

materialiter est ipsa moralis invitatio seu vocatio, quae est in omni gratia praeveniente, et sic est aptitudo ad habendum consensum.

formaliter est eadem prout connotat ipsum consensum reapse secuturum. — Ita congruitatem explicant *Molina,* l. c. p. 120, 459-460. *Lessius,* de praedest. s. 5 n. 103-106. *Suarez.*

257.— b) **alterum elementum** est decretum absolutum benevolae voluntatis divinae qua statuit gratiam concedere. Supponit hoc decretum, Deum gratiae efficaciam amare, seu supponit praedefinitionem saltem virtualem. (thes. 35)

In his explicationibus *conveniunt* auctores Societatis moraliter omnes. *Dissentiunt* in quaestione quaenam sit intentio Dei in gratia efficaci elargienda, seu de praedefinitione, de qua. Cf. thes. 35.

Hinc, juxta nos, **conversio Petri ordinatur sic :**

1) Deus, in scientia simplicis intelligentiae, videt conversionem Petri possibilem.
2) In scientia media videt quibus auxiliis Petrus erit consensurus.
3) Auxilium praevisum efficax aliquo modo amat (praedefinitio saltem virtualis).
4) Consequenter statuit se illud daturum.
5) In scientia visionis cognoscit liberam Petri conversionem in tempore absolute futuram.
6) Tempore constituto confert auxilium efficax.
7) Petrus se convertit.

Probatur thesis.

258. — A. Systema Molinae theologice est probabilius.

Illa explicatio praeferenda est quae longe clarius et facilius, imo sola, ut videtur, declarat et tuetur quae tuenda et declaranda sunt. Atqui talis est explicatio nostra ; ergo...

prob. min. — Declarat et tuetur :

1) libertatem humanam, etiam in sensu composito gratiae efficacis.
2) gratiam vere sufficientem (Cf. thes. 29).
3) varia gratiae efficacis praedicata :
   a) efficaciam gratiae in actu primo. (Cf. thes. 30)
   b) gratiae efficacis objectivam infallibilitatem. Etenim ex his praemissis : Si Petro detur gratia A, consentiet ; atqui datur gratia A — sequitur haec consequentia necessaria : consentiet. — Cf. Wirceb. n. 379.
   c) ejusdem infallibilitatem cognoscitivam : objectivam infallibilitatem Deus cognoscit scientia media.
   d) gratiae efficacis omnipotentiam, non quidem quasi Deus possit obtinere quemlibet effectum per quamlibet gratiam, sed hoc sensu quod nullus sit actus salutaris quem Deus non possit, si velit, a libero arbitrio obtinere. Etenim in thesauro gratiarum entitative sufficientium, gratias in infinitum infinitis gradibus continente, non possunt deficere tales quae, licet sint singulae a voluntate intrinsecus repudiabiles, tamen non possunt omnes frustrari consensu : secus oporteret voluntatem esse infinite malam. Cf. Schol. post thes. 4., n. 71-73.
   e) gratia efficax est beneficium speciale,
      materiale : donum majus, quia congruum.
      formale : ex benevolentia speciali Deus praeelegit gratiam praevisam efficacem.
   f) dat non tantum posse sed ipsum velle : voluntas se determinat, juvante gratia collata sub praescientia infallibili consensus conditionate futuri.
   g) talis est ut discretio justi ab injusto tota sit tribuenda Deo ut pri-

mae et principali causae ; nam, a Deo solo est tum gratia cui datur consensus, tum electio talis ordinis prae alio.

259. — 4) Gratuitae praedestinationis mysterium,

tum in eo quod gratia, saltem prima, proxime sufficiens uni confertur actu, aliis multis offertur tantum.

tum in eo quod e duobus aequaliter dispositis, data utrique gratia sufficiente ad actum salutarem eumdem, unus acceperit gratiam a Deo praevisam efficacem, alter non : cujus providentiae, saltem si de prima gratia efficaci agitur, nequit ratio reddi, nisi illa Rom. XI, 33 : *O altitudo !*

Mysteriosa manet et inexplicata etiam scientia media. Sed quid mirum ? Ipsi Thomistae, saltem quando agitur de explicando modo quo Deus cognoscit peccata, scientiae divinae mysterium fateri coguntur. (Cf. *Guillermin,* Rev. Thom. t. 11 p. 28 ss.)

5) Denique tandem habes quod in nostra quoque sententia intercedit aliqua vera differentia inter gratiam sufficientem et efficacem in actu primo.

6) Favent Patres. Cf. S. Aug. *De div. quaest. ad Simplic.* l. 1 q. 2 n. 13, 14, M. 40, 118 ; S. Cyrill. Alex. *In Rom. 8, 30.* M. 74, 828 sq.

260. — **B. Juridice tuta est doctrina Societatis.**

Constat ex authenticis Pontificum declarationibus.

Cf. 1) **Paulus V**, 5 Sept. 1607, B. 1090(944).

2) **Innocent. X**, 23 Apr. 1654, B. 1097 (964).

Neque Societas Molinismum proscripsit per decretum Claudii Aquavivae (14 Dec. 1613).

Cf. Schneemann p. 302 ss. ; Frins p. 71 ; Mazzella n. 717 ss.

261. — **Objectiones** apud Wirc. n. 381-383.Cfr. Mazz. n. 723 et seqq. ex auctoritate ; 733 et seqq. ex ratione. — Sufficiant hic pauca :

1° Voluntas est active indifferens ; ut exeat de potentia in actum indiget excitari et moveri per aliquod ens actu C. determinari N. ; per actus indeliberatos gratiae praevenientis voluntas ita *applicatur* ad actum salutarem ut is tamen non sequatur infallibiliter ex eorum virtute ; praeterea ita conferunt posse agere proxime expeditum et completum, ut simul cum ipso conferatur ipsum agere libere (abstrahendo ab actus specificatione) et agere salutariter. Consentiendo voluntas non transit simpliciter de potentia in actum ; determinat *directionem* sui motus quem jam habet vi actus indeliberati.

2° Consensus gratiae praestitus contradistinguitur a gratia praecise qua praeveniens est C. quatenus perseverat et influendo fit adjuvans, *subd.* contradistinguitur in quantum dicit cooperationem potentiae naturalis cum gratia etiam partialiter cooperante C. quasi eliceretur solis naturae viribus, seclusa qualibet cooperatione N. Consensus fit non actu praevio quo voluntas primum se determinat ut velit, sed ipso illo actu ad quem invitat gratia praeveniens, v. g. ipso *actu* fidei, etc. ; hunc actum v. g. credendi exsero ipsis illis viribus quibus *possum* credere...

3° Gratia penderet a voluntate quoad usum C. quoad entitatem *subd.* spectata quoad

suum esse *N.* spectata formaliter ut efficax *subd.* penderet a voluntate efficacia virtutis n. connexionis *subd.* quasi pendeat a consensu voluntatis conditionate futuro *physice et causaliter* N. *logice et objective* C.

4° Hinc gratia determinatur per voluntatem, proxime et actu 2° C. simpliciter et in actu 1° N.

5° Num, ex nostro systemate, *Deus exspectaret voluntatem* ? *Dist.* exspectaret volᵗᵉᵐ per motus gratiae nondum excitatam, vel sine adjutorio gratiae se determinantem N. excitatam et cum adj. gr. se determinantem *subd.* exspectaret proprie N. improprie, *quatenus collatio gratiae non fit a Deo nisi consequenter ad praevisam liberi arb. cooperantis determinationem* C. vel *subd.* et haec determinatio praevisa se habet, quoad gratiae collationem, tqm meritum N. secus C.

6° Ideo gratia consensum obtinet quia est efficax ; e. est efficax antecedenter.

R. *Dist. A.* in ordine ontologico, et ut est objectum scientiae visionis C. in ordine possibilitatis et prout est objectum scientiae simplicis intelligentiae *subd.* in signo priori ad futuritionem conditionatam consensus et ad scientiam mediam N. (sic neque est efficax, neque inefficax, sed solum efficiens...) in signo consequente hanc futuritionem et scientiam mediam C.

Thes. XXXV. — Licet praedefinitio formalis neganda non sit quoad aliquos actus salutares, non videtur tamen concedenda quoad omnes omnino ; probabilius autem cum Molina et Lessio dicendum est actus salutares virtualiter tantum praedefiniri.

262. — Cf. Quilliet *Congruisme* DTC. 1126 sq. ; Schiffini, *De gratia* n. 271.

St. Q. 1) **Omnes Societatis theologi** conveniunt in hactenus expositis de ratione gratiae efficacis. **Dissentiunt in modo explicandi aeternam gratiae efficacis praeparationem**, quae praeparatio dicitur **praedefinitio** operum salutarium.

2° **Praedefinitio in genere** est absoluta et efficax voluntas qua Deus ab aeterno, ante praescientiam absolutam consensus salutaris decernit ut actus bonus in tempore fiat. Praedefinitio est a) aut **formalis antecedens**, qua opus salutare in se intenditur et decernitur absolute ; consequenter tantum Deus, praelucente scientia media (secundum Bañesianos, scientia simplicis intelligentiae) eligit talem gratiam qua consensus salutaris infallibiliter obtineatur, **aliam electurus si ista praevideretur inefficax ;** b) aut **formalis concomitans**, qua decretum Dei efficax directe ac indivise fertur *et* in auxilium efficax *et* in ipsum actum in se et formaliter consideratum ; c) aut **virtualis,** qua Deus decernit conferre gratiam praescitam conditionate efficacem, non ex praevia voluntate absoluta actus salutaris, sed ob aliam rationem ipso dignam, nobis inscrutabilem. Gratiam decernit **quae et qua** est efficax, non **quia** est efficax. — Cfr. Schiffini, de Gr. n. 271.

263. — 3° **Sententiae.** 1. Praedefinitionem formalem defendunt e nostris non pauci, quorum alii docent praedestinationem ad gloriam antecedere praevisionem meritorum. Ita Bellarminus, *de Gr. et lib. arb.* I, cap. 12,

n. 11 sq. ; Suarez, l. c. ; alii docent electionem ad gloriam fieri post praevisa merita : Ita Wirc., *De Deo*, n. 209, 226, 253 ; Platel, *de Deo*, n. 206, etc.

2. Praedefinitionem *virtualem tantum* admittunt : Molina, *Conc.* q. 23. a. 4 et 5, disp. 1, membr, 13, p. 545 (ed. Par.) ; Lessius, *de Praed.*, sect. 5, n. 92; *de Gr. eff.*, cap. 4 n. 12 sqq. n. 62 et 69-160 ; Valentia, *in I p.*, D. I, q. 22 p. 3 ; Vasq. *in I p.* D. 89, cap. 10 ; Disp. 99, cap. 3 et 7 etc.

264. — Probatur 1ª Pars : A) Videtur concedenda esse praedefinitio formalis quoad certos actus : a) ex oratione Ecclesiae, certos quosdam actus salutares postulantis absolute, v. g. ut convertamur ; b) ita explicari potest confirmatio in gratia.

B) Non videtur admittenda praed. formalis quoad omnes omnino actus salutares :

I) deest sufficiens momentum *auctoritatis* (fatetur Suar. *de Auxiliis*, III, c. 17, n. 7) et *rationis* : nam non requiritur 1) nec ad tuendam plenam dependentiam creaturae a Deo in operando ; 2) nec ut Deus habeat veram et perfectam providentiam operum bonorum (Suar. l. c. II, c. 7, n. 4-10) ; nec ut collatio gratiae efficacis sit speciale beneficium.

II) In systemate praed. formalium non satis apparet nec quomodo voluntas Dei salvifica sit seria, neque, ut multi censent, quomodo libertas arbitrii integra maneat — ideoque haec pars datur ut *probabilior*.

265. — Probatur 2ª pars : Concedenda est praedefinitio virtualis. *Certum.*

1) Valent saltem quoad praed. virtualem ii textus quos Wirc. (*de Deo*, 209) afferunt pro formali.

2) Ex Trid. VI, c. 16 B. 810 (692) verbis S. Aug. docente omnia nostra bona opera esse ipsius Dei dona.

3) Quia Deus nullam in tempore confert gratiam efficacem nisi ex decreto voluntatis ab aeterno volentis illam dare, et sub scientia conditionata ipsius efficaciae per hominis consensum ; — atqui haec voluntas est praedefinitio virtualis.

4) Hoc sensu Deus dicitur opera nostra bona praeparare, praedestinare etc. ; quae praeparatio merito dicitur habere rationem specialis beneficii. Cfr. S. Aug. *de Dono pers.* c. 17. n. 42 M. 45, 1018.

Object. apud Schiff. n. 275.

266. — Schol. I. Quomodo gratiae efficaciam explicet S. Augustinus ?

Cf. Hurter *III n. 83, 119, 130, 133 ;* Pesch *n. 103-108 ; 276-279;* del Val *p. 522 ssq.* ; Rottmanner *Der Augustinismus ;* Pfülf, *Praedestinationslehre des heil. August. Zeitschr. 1893 (t. 17) p. 483-496 (contra Rottmanner)* Portalié *St. Augustin. DTC. 2389 ssq.* ; Mausbach, *Die Ethik des heil. Aug. II p. 25 ss.* ; Tixeront *II p. 483 sqq.*

Breviter quaedam notantur circa hanc quaestionem difficillimam :

1) Certo S. Augustinus proclamat Dei in humanas voluntates omnipotentissimam potestatem. Cf. thes. 4.

2) Clare etiam docet hominis libertatem ; vide textus citatos in thesi 5a.

3) Gratiae efficacitatem repetit ex ejus congruentia:

Cf. *ad Simplici* l. 1 q. 2 n. 13 ; M. 40, 119 ;
De Praedest. Sanct. c. 4. n. 8 M. 44, 966 ;
Retract. 2 c. 1 n. 1 M. 32, 629 ;
In Joan. tr. 26 n. 5 M. 35, 1609 ;
De peccat. merit. 2, 17 M. 44, 167.

4) E duobus eadem gratia praeventis, unus juvatur alter non : ratio discriminis **unice repetenda est ex determinatione liberae voluntatis.**

Cf. *De civit. Dei* l. 12 c. 6 M. 41, 353 ss ;
Ad Simplic. l. 1 q. 2 n. 10 M. 40, 106 ;
De Spirit. et litt. c. 34 n. 60 M. 44, 240.

5) Praedestinationem gratiarum efficacium fundat in praescientia divina.

cf. *De dono persever.* c. 14 n. 35 M. 45, 1014 ;
c. 17 n. 41 col. 1018 sq. ;
De corrept. et grat. c. 7 n. 14 M. 44, 925 ;
Op. imperf. l. 1 n. 93 M. 45, 1109.

267. — 6) **Neque objicias**

a) Difficultatem quam Aug. fatetur se experiri in **concilianda efficacia gratiae cum libertate.**

Ita *De Grat. Christi* c. 47 n. 52 M. 44, 383 ;
Cont. Julian. l. 4 c. 8 n. 47 M. 44, 761 sq.
Cont. litt. Petiliani II c. 84 n. 186 M. 43, 317. etc.

Resp. Ut solvat difficultatem, August. recurrit ad praescientiam (Cf. 5). Sed N. B. Ratio difficultatis quam experitur non oritur ex modo agendi gratiae, de quo nunquam quaestio fuit in controversia Pelag. et Semipel., sed ex gratiae necessitate et gratuitate.

b) Discrimen ab Augustino statutum inter gratiam naturae integrae et naturae lapsae : **adjutorium quo, et adjutorium sine quo non.** *De corrept. et grat.* c. 11 n. 32 M. 44, 935.

Cf. Hurter *n. 133 ;* Pesch *n. 108 ssq* ; Guillermin, *Rev. Thom. 1902 p. 68-70 ;* Wirceb. *n. 273 ssq.* ; Palmieri *p. 243 ssq.* ; Bossuet *Défense de la Tradit. p. 2 l. 13 ch. 12 (éd. Lachat IV p. 580 sq.)*

Resp. — Perperam Janenistae suam de gratia efficaci et gratia sufficiente versatili doctrinam in hoc capite S^{i} Augustini inveniunt. — Licet theologi etiam catholici non satis inter se conveniant quid nomine utriusque adjutorii intellexerit S. Doctor, **haec explicatio probabilis tradi potest.** Quatuor Augustinus distinguit gratias diversas:

1) Adjut. sine quo non, sufficiens sed inefficax, qualis fuit in Adamo.
2) » » » » efficax, quale fuit in bonis Angelis. Est simul adjutorium quo res fit.
3) Adjut. quo perducens ad actum : gratia efficax.
4) Adjut. quo adjuvans, seu sanans, ut concupiscentia vincatur, tamen non perducens ad actum. Hanc ultimam Adamus ante peccatum habere non potuit.

268. — Schol. 2. De mente S^{i} Thomae.

Cf. De Regnon *Bañez et Molina p. 119 ssq ; 353 ssq* ; Hurter *n. 121* ; de San, *de Deo I p. 545-746 ;* Frins, *De cooperatione Dei ;* Dummermuth, *Defensio doctrinae S. Thomae de praemotione physica ;* Straub. *Die Lehre des heil. Thomas über die physische Praedetermination nach Cardin. Pecci, Zeitschr. t. 10 p. 209 ssq.* ; Hurter *n. 121*, Gutberlet-Heinrich *t. 8 p. 451 sq ;* Pesch *n. 263-270.*

Nostrae sententiae non adversatur sed suffragatur S. Thomas.

Brevitatis causa, indicamus tantum quaedam capita doctrinae quae, sicut excludunt praedeterm. physicam, ita nostram doctrinam vel praeformant vel proponunt. Plura dabunt de San, l. c. ; Frins, l. c. etc.

1° Supposita naturali determinatione ad bonum universale quo actuatur circa finem ultimum, voluntas ut sit proxime et complete expedita ad agendum non indiget ulla alia praevia determinatione praeter illam quae est « *per consilium rationis, nec oportat hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* » *De Malo*, q. 3. a. 3 ad 5 (quod diabolus non est causa peccati per determinationem voluntati impressam) Cf. 1. 2. q. 9 per totam quaest. Genesis actionis liberae et variae motiones quibus subjicitur : voluntas actuatur ad specificationem actus per motionem intellectus, a. 1 ; ad exercitium, tum per seipsam, a. 3, Cfr. ad 3, tum per aliquid exterius, sc. Deo movente ad primum motum volendi, a. 4 ; quo motu et actu vult bonum universale et sic actuatur circa finem, a. 6 ; « **sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum** » ib. ad 3. — Cf. in II, D. 25, q. 1. a. 1 ad 1.

2° Juxta S. Thomam quaelibet forma, dispositio aut qualitas quae inducit vol^{em} ad agendum, tollit libertatis exercitium **si vel non est ab ipsa voluntate, vel voluntati non subjacet quoad sui acquisitionem, usum, remotionem.** C. G. II, 47 n. 3 ; 1. q. 83. a. 1. ad 5 ; q. 62. a. 3. ad 2 ; excluditur autem determinatio qualibet ab extrinseco ; **etiam quae sit a Deo** : in 4 D. 49, q. 1, a. 3. q^{a} 2 in C.et ad 1. ; de Ver. q. 22. a. 6 ad 1. Cf. a. 8.

3° Imo Deus corrumperet naturam voluntatis si eam **ex necessitate** ad unum determinaret 1. 2. q. 10. a. 4.

4° Itaque Deus movet et applicat voluntatem ad agendum, non praedeterminando, sed a) quia « movet voluntatem sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum ; » b) quia ad praesentiam objecti producit actus indeliberatos quibus voluntas inclinatur, allicitur, et

fit proxime potens ad agendum ; c) quia cooperatur physice, proprie et immediate cum voluntate se movente (in actu 2°) sine praevia determinatione. (Cf. Suar. *de Gratia* l. 3 c. 44 n. 17).

CAP. IV. DE GRATIAE ACTUALIS DISTRIBUTIONE

Thes. XXXVI. — Adultis omnibus, non solum justis, sed ipsis quoque tum peccatoribus etiam obstinatis, tum infidelibus, praesto est, pro tempore et loco, gratia saltem remote sufficiens qua vel justitiam semel adeptam conservent, vel amissam concepta poenitentia reparent, vel ad fidem salutarem perveniant.

Cf. Suarez, *De gratia l. 4 c. 7-12* ; de Lugo, *De poenit. l. 8 s. 1* ; Wirceb. *VII n. 345-360* ; Hurter *n. 73-86* ; Van der Meersch *n. 395-411* ; Pesch *n. 291-306* ; Jungmann *n. 216-249*.

269. — Supponimus : a) Deum velle serio et sincere omnium hominum salutem etiam in praesenti statu naturae lapsae « *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* » (I Tim. II, 4)

b) Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse et sanguinem suum fudisse Cf. prop. 5 Jansen. B. 1096 (963)

Loquimur tantum de adultis. Difficultatem specialem de infantibus vide in tractatu de statibus.

Duplicem considerationem postulat quaestio :

a) subjecti cui danda est gratia : est vel justus, vel peccator, vel infidelis ;

b) termini ad quem datur gratia : est vel perseverantia in justitia adepta vel recuperatio justitiae amissae, vel primae justitiae adeptio.

Hinc tres partes :

270. — Pars 1ª. Justis omnibus, urgente praecepto, confertur a Deo gratia proxime vel remote sufficiens qua illud implere vere possint.

Affirmatur in hac parte omnibus justis dari gratiam illam quam in thesi 8ª necessariam ad perseverandum in justitia, et in thesi 13ª necessariam ad vitandum peccatum probavimus.

Dicimus **omnibus** justis, ergo etiam illis qui extra corpus Ecclesia versantur, licet majores et abundantiores gratiae concedantur in Ecclesia Vide quae, in tractatu de Ecclesia, de ejus sanctitate dicta sunt. Cf. Hugueny. *Critique et catholique p. 223 ss.*

Adversantur : Lutherus et Calvinus, statuentes Dei praecepta esse impossibilia, ob concupiscentiae labem. (Cf. Wirech. n. 210, 5. et 6. error) et **Jansenius,** cujus doctrinam damnatam habes prop. 1ª B. 1092 (966) Inde haec prima pars, intellecta de praecepto gravi et de tentatione gravi **superanda,** est *de fide.*

Probatur.

271. — 1) *Docum. Eccl.*

Arausic. II can. 25 B. 200 (169). — Trident. VI cap. 11 B. 804 (686) ; can. 18 B. 828 (710) ; can. 22 B. 832 (714).— Jansen. prop. 1 B. 1092 (966).

2) *Patres.*

Cf. S. August. *in Ps. 39* n. 27 M. 36, 4 ; *serm. 22 in append.* M. 39, 1876 ; (S. Caesarii ?) ; *in Ps. 149* n. 9 M. 37, 1954 ; *De nat. et gratia* n. 29 M. 44, 261 ; *Tract. in Joan.* 2 et 34 n. 6 M. 35, 1391 ssq., 1654.

3) *Script.*

a) Docet Deum omnes justos diligere dilectione speciali.
Prov. VIII, 17 ; Joan. XIV, 21 ; Mat. XII, 50 ; Rom. V, 8. 10.
Justi sunt membra Christi ; atqui « *nemo unquam carnem suam odio habuit,sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam* » Ephes. V,23).
Explicite commendatur singularis Dei Providentia in justos I Cor. X, 13.

b) Mandata Dei facilia sunt. 1 Joan. V, 3. 4. Mat. XI, 30.

c) Deus, quantum est ex se, justis omnibus vult dare vitam aeternam. Joan. VI, 30 ; V, 52 ; III, 16 ; Tit. III, 4.

4) *Ratione theol.*

a) Deus impossibilia non jubet (etiam in ordine naturae lapsae).

b) Intercedit inter Deum et justum amicitia veri nominis.

272. — Pars 2ª. Peccatoribus nullis, ne obstinatis quidem, deest pro tempore et loco gratia saltem remote sufficiens qua possint agere poenitentiam.

Praenot. 1) Agitur de peccatoribus adultis, viatoribus, usum rationis habentibus, quorum alii dicuntur **communes** (= qui licet a Deo aversi, tamen non omnem timorem rejecerunt ; delinquunt ex infirmitate. Ad quos pertinent etiam consuetudinarii et recidivi) alii **obstinati.**

273. — 2) **Quid sit obstinatio ?**

Cf. Lessius, *De perf. divinis l. 13 n. 76-83 ;* St Thomas, *De verit. q. 24 a. 11 ;* Heurter *III n. 81 ;* Van der Meersch, *n. 398 ;* Pesch, *n. 293-295.*

Obstinatio, ex S. Thoma l. c., « *importat quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis a peccato reverti non possit.* » Est aliqua dispositio voluntatis qua quis ita firmiter inhaeret peccato ut ad bonum redire nolit. « *Consistit obstinatio in firma et obstinata affectus ad aliquod malum, propter speciem quamdam boni, adhaesione ; qua fit ut neque externis monitis, neque internis inspirationibus, neque flagellis, neque promissis dimoveri possit, sed velut saxum se ad omnia obduret et impenetrabilem praestet, nisi majore quadam vi divinitus impellatur.* » (Lessius l. c. n. 81.)

Cf. S. Bernard. *De considerat. I, 2* M. 182, 729 sq.

Saepius est effectus excaecationis mentis, quae caecitas in ordine salutis oritur ex volutaria repulsione gratiae illustrantis. De tali modo excaecatis loquitur Isaias : « *Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* (Is. V, 20) Cf. Sap. c. 2.

Obstinatio est vel **perfecta** : conversio fit impossibilis (damnati) ; vel **imperfecta** quae reddit conversionem valde difficilem. Est extrema et maxima poena hujus vitae (Cf. Lessius l. c.).

Obstinationis causae plures sunt.

Errat Calvinus qui illam adscribit positivae Dei voluntati et operationi, adeo ut Deus sit illius causa directa. (Instit. l. 2 c. 18.)

Sed obstinationis causa tum proxima et efficiens per repetitos actus pravos, tum remota et meritoria, per abusus gratiarum merentis uberioris gratiae subtractionem, **est ipse homo obstinatus.**

Deus autem obstinationis causa est suprema, « **non quidem directe et positive**, sed permissive, negative, occasionaliter et quatenus illam ordinat ad sapientissimum finem. » (Hurter l. c. Lessius n. 83) Cf. Rom. IX.

274. — 3) **Cur specialis quaestio ponatur de peccatoribus fidelibus** ? Quia duplex adest ratio dubitandi : a) Ex una parte voluntas salvifica Dei jam videtur in illis habuisse suum effectum, siquidem habuerunt gratiam qua abusi sunt. b) Ex altera parte evidens est peccatorem non habere continuo et semper gratiam sufficientem paenitendi, v. g. quando dormit.

275. — 4) Ut theseos sensus melius appareat **variae distinguantur quaestiones.**

a) Utrum detur peccatum irremissibile ? Negative. Cf. tract. De poenitentia.

b) Utrum etiam peccatori denegari possit gratia efficax qua talis ? Affirmative.

c) Utrum, urgente praecepto, peccator possit carere gratia saltem remote sufficiente ad illud implendum ? Negative. Cf. thes. 5.

d) Utrum peccatori fideli semper praesto sit gratia quae sufficiat ad conversionem ? **Est quaestio nostra, quae potest habere tres sensus :**

α) Utrum peccatori volenti actu et sincere converti, Deus det gratiam supernaturalem sufficientem ad poenitentiam salutarem ? Affirmative. Cf. de Lugo, *De poenit.* l. 8 s. 1 n. 15.

β) Utrum peccatori actu excitato per gratiam externam (v. g. praedicationem) semper praesto sit gratia interna supernaturalis sufficiens ? Affirmative.

γ) Utrum singulis instantibus, etiam quando deficit vel vocatio externa, vel cogitatio de poenitentia, Deus det gratiam conversionis sufficientem ? Respondemus negative, quia « *sicut fur in nocte, ita*

veniet. » (I Thessal. V, 2) Neque Deus leges naturae subvertere tenetur ut sucurrat peccatori qui ejus salutarem gratiam usque in finem neglexerit. **Hinc falsum est conversionem in instanti mortis semper esse penes peccatorem.** « *Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam.* » (Mat. 25, 13) Ideoque dicimus in thesi « pro tempore et lòco ».

Cf. Suarez, *De gratia* l. 4 c. 10 n. 3-12.

In thesi igitur probantur tantum α) et β).

5) **Adversantur** *Jansenius* et asseclae (Cf. prop. *Quesnel 28* B. 1378 (1243) catholici quidam duriores (Bañez, Ledesma, Godoy, Gonzalez, Gonet)

Thesis datur ut *certa.*

276. — Probatur.

1) *Document. Eccl.*

Arausic.II, B. 200 (169) ;

Valentin. III (855) can. 2 ad fin. B. 321 (285) ;

Trident. VI cap. 14 B. 807 (690).

2) *Patres.*

S. August. *tract. 53 in Joan. XII, 39 n. 6-10* M. 35, 1776 ssq.

In Ps. 63 n. 19 M. 36, 771 ;

Retract. c. 22 n. 4 M. 32, 620.

De vocat. omn. gent. II, 3. M. 51, 688.

3) *Script.* « *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat.* (Ezech. XXXIII, 11).

« *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* » (Is. LXV, 2).

« *Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.*» (Luc. V, 32). II Petr. III, 9 ; Rom. II, 4.

4) *Ratione.*

a) Voluntas Dei salvifica et Christi Redemptio universalis.

b) Et peccatores obstinati in via sunt,ergo non sunt in statu obdurationis completae : possunt vere tendere in terminum.

« *In statu viae nullus est qui mentis obstinationem non possit deponere.*»

S. Thom. *I D. 48 q. 1 a. 3 ad 2um Cf. III q. 86 a. 1.*

c) Eis incumbit obligatio poenitendi et quidem supernaturaliter. (De hoc argumento Cf. Van der Meersch n. 401).

Difficultates vide apud Wirceb. n. 352-354 ; Hurter n. 83.

De peccato contra Spum Sum (Mat. XII, 32 etc.) Cf. tractatem de Poenitentia.

277. — 3ª pars. Neque infidelibus negativis deest gratia proxime vel remote sufficiens ad fidem et postmodum ad justificationem obtinendam.

Praenot. Infideles distinguuntur :

positivi : qui revelationem propositam rejiciunt.

De his non loquimur : habent gratiam, sed resistunt.

negativi : ad quos Evangelium nondum pervenit.

Sensus igitur propositionis est : si infideles negativi faciunt quod in se est Deus ipsis gratiam saltem remote sufficientem infallibiliter dabit. (Cf. Facienti quod in se est... thes. 19.)

Adversantur *Jansenius* (Cf. De Gratia Christi III c. 11) et sequaces. Propositio est *certa*.

278. — Probatur.

1) *Docum. Eccl.*

Alex VIII prop. 5 B. 1295 (1162). Hinc saltem aliqui infideles habent gratiam sufficientem. — (Propositio est Christiani Lupi O. S. A. (+ 1681). Cf. Le Bachelet *Alexandre VIII* Dict. Vacant col. 753.

Quesnel, prop. 26, 27, 29. B. 1376 (1241) ss. Hinc ante fidem — ergo infidelibus — gratiae largiuntur.

Cf. Pius IX « *Quanto conficiamur maerore.* » B. 1677 (1529).

2) *Patres.*

Clemens Rom. *Epist. I ad Cor. 7.*

Clemens Alex. *Cohort. ad Gentes 9*, M. 8, 199.

S. Ambros. *In Ps. 118 serm. 8, n. 57*, M. 15, 1318.

S. Joan. Chrysost. *In Joan. Hom. 8 a. 1*, M. 59, 65.

S. Aug. *In ps. 18 Enarr. 1 n. 7.* M. 36, 155 ;
In ps. 91 n. 3 M. 37, 1172 ;
De serm. Dom. in monte c. 11 n. 32 M. 34, 1245.

Cf. Bastida, apud de Meyere *De auxil. V. 29.* 31.

Orosius *apol. de lib. arb. n. 19-21* M. 31, 1188 ss.

De vocat. omn. Gent. *l. 2 c. 17 et 26, 29, 31* M. 51, 711-715, 716.

S. Cyrill. Alex. *De ador. l. 2* M. 68, 245 C ; *In Is.* M. 70, 561, 804, 1332 ; *In Joel.* M. 71, 380 ; *In Nah.* M. 71, 820 ; *In Mat.* M. 72, 413 ; *In Rom.* M. 74, 828, 844.

3) *Script.*

a) Jam in Veteri Testamento regnum Christi praenuntiatur universale.

b) 1 Tim II. 4 ; II Patr. III. 9 ; Rom. V, 18.
Mat. XVIII, 11 ; Joan. I, 9. ; VIII, 12 ; I Joan. II. 2.

4) *Ratione theol.*

a) voluntas salvifica universalis.

b) Tam late patet ordo reparationis per Christum quam status ruinae per Adamum. Cf. Rom. V, 18 ; Cf. Janvier, 4e confér. 1910 p. 12-16.

Thes. XXXVII. — Doctrinae propositae de gratia sufficiente omnibus oblata, nullatenus obest Rom. IX, 3-35.

Cf, Prat. *Théol. de St. Paul I p. 353-364* ; Capéran p. 22-27 ; Corluy, *Spicil.* I p. 113-137.

Propter quaestionis momentum et difficultatem, utile videtur exegetice hic exponere Rom. IX, 3-25. Ipsa textus explicatione thesis probabitur.

279. — 1) **Quaeritur quamnam quaestionem moveat Apostolus** ? » *Il n'est peut-être pas, dans l'Ecriture, de page où il fût plus dangereux de perdre de vue la pensée d'ensemble en exagérant la portée des détails.* » (Prat. p. 353).

Non quaerit Paulus, utrum alii praedestinati sint ad gloriam, alii ad damnationem.

Neque cur de facto alii salventur alii vero peccent. Sed : *cur populus electus Judaeorum, heres benedictionum promissionumque messianicarum respuerit medium unicum salutis, scil. Evangelium ?*

2) **Fit analysis textus.**

280. — a) **v. 4, 5** *enumerantur privilegia populi electi* : adoptio divina, gloria, i. e. splendor quo arca et templum quandoque erant circumfusa (schechîna), testamentum (foedus solemne cum Deo), legislatio (Thora), obsequium (cultus Deo unice acceptus), promissa, scil. messianica ; patres, i.e. patriarchae « *ex quibus est Christus secundum carnem* ».

b) **Sed ecce populus tantis donis cumulatus rejicitur et gentes ejus locum obtinent !**

281. — v. 6 Exciditne verbum Dei ? i.e. fefellitne Deus populum suum electum ? Minime. Etenim promissa spopondit Israelitis *veris*. At non omnes qui ex Israel sunt, veri sunt Israelitae, neque (**v. 7, 6**) omnes ex Abraham nati, filii sunt Abraham : soli filii promissionis, non vero fili carnis, filii Dei sunt.

v. 9. atqui, ut ex historia sacra omnibus notum est, *solus Isaac* i. e. filius Sarae (Genes. XVIII, 10. 14 ; XXI, 1) *filius est promissionis*. Rejecti sunt et Ismael, natus ex Agar (Genes. XVI, 15 ; XXV, 17) et filii Cethurae (tertiae uxoris Abrahae, matris Madianitorum, Cf. Genes. XXV, 1, 4).

v. 10-13. Imo neque omnes filii Isaac sunt filii Dei. Narratur historia Esau et Jacob (cf. Genes. XXV, 23 ; Mal. I, 1-3). Notandum est hic sermonem esse de **Esau et Jacob** non ut sunt personae singulares, sed ut stipites et duces populorum quibuscum unicam constituunt personam moralem : antequam hi populi existerent, imo ante nativitatem capitum (Esau et Jacob), absque ullo merito, sive jam acquisito, sive tantum praeviso, **Deus libere elegit Israel (Jacob) ut sit depositarius promissionum messianicarum, Edom vero (rufus : Esaü) ab eodem beneficio gratuito exclusit** : « *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* ».

v. 14. Clarum est, Deum in hoc non fuisse injustum.

282. — v. 15. Summam Dei libertatem in donis gratuitis concedendis vel recusandis Paulus iterum ostendit ex historia **Moysis et Pharaonis**. *Favorem singularem et indebitum* prorsus Moyses petit, ut videat nempe Deum facie ad faciem ; recusat Deus. « *Ostende mihi gloriam tuam. Respondit : Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te : et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait : Non poteris videre faciem meam : non enim videbit me homo et vivet.* » (Exod. XXXIII, 18-20).

283. — v. 16. « *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* » i. e. Donum gratuitum, de quo solo agitur in textu, nullo modo pendet a meritis hominum, et recusatur a Deo sine ulla injustitia.

v. 17, 18 alludens ad Exod. IX, 14-17, eamdem veritatem corroborat : **gratia efficax conversionis donum Dei est gratuitum** ideoque « *cujus vult miseretur, et quem vult indurat* » i. e. gratiam *efficacem* Deus vel dat vel denegat cui voluerit.

Caeterum cor Pharaonis induravit Deus, non minuendo auxilia sicut induravit corda paganorum de quibus Rom. 1, 18 sq., sed multiplicando miracula « *il l'aveugle à force de lumière* » (Prat. p. 559).

Hujus indurationis divina bonitas est occasio tantum, **causa vero et auctor ipse Pharao.** Neque Deus ejus indurationem intendit, sed permittit, ob finem altiorem : « *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut* (ὅπως, indicans finem) *ostendam in te virtutem meam, et ut annuncietur nomen meum in universa terra.* » (v. 17).

284. — v. 19. Si voluntati divinae nemo resistit, cur queritur Deus ? Objectioni absurdae (siquidem homo est causa peccati, non Deus) apostolus respondet citando **v. 20-22**, ex Scriptura (Cf. Is. 29. 16 ; 45, 9. 10 ; 64, 8 ; Jerem. 18,6 ; Eccli. 36 (33),12. 13 ; Sap. 15, 7) **allegoriam figuli** : potestatem habet figulus faciendi, ex eadem massa luti, vas in honorem et vas in contumeliam, quin figmentum jus habeat insurgendi in auctorem suum.

Cf. *Schwalm* : *La vie privée du peuple juif à l'époque de Jésus-Christ* p. 216-220,

285. — N. B. 1) Parabolam figuli affert apostolus ut explicet non quo modo Deus tractet creaturam suam, sed **quomodo creatura agere debeat cum Deo** : « *Numquid dicit figmentum....* » « *Paul ne dit pas : Dieu se comporte à l'égard des créatures libres comme l'ouvrier à l'égard de la matière inerte... (il) ne dit pas d'avantage : Dieu pourrait se comporter à l'égard de son œuvre... Paul dit : Dieu traiterait-il sa créature comme le potier façonne l'argile, la créature n'aurait pas le droit d'élever sa voix contre lui, car l'œuvre en tant qu'œuvre n'a aucun droit contre l'ouvrier...* » (Prat. p. 360, 361).

286. — 2) vasa in ignominiam, de quibus **v. 21,** non sunt vasa irae, (v. 22), et significant non reprobatos, sed homines quibus Deus donavit gratias minores i. e. «*vasa lignea et fictilia*» quae, licet pretii minoris, tamen

necessaria sunt in magna domo : « *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* » (II Tim. II, 20).

v. 22. 23. Neque injustus est Deus, si, ut ostendat iram suam et potentiam, vasa irae sustinet in multa patientia, et, ut manifestet divitias gloriae suae, praeparat vasa misericordiae in gloriam. Ubi notes : 1) *vasa irae et vasa misericordiae* **non sunt vasa destinata a Deo vel ad iram vel ad misericordiam**, sed vasa irae homines sunt quorum peccata iram divinam concitaverunt, vasa autem misericordiae significant fideles quos Deus ex pura misericordia ad fidem vocavit. Agitur ergo de tempore praeterito, non de futuro.

287. — 2) « *apta in interitum*, κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν ». Quo participio Paulus utitur hoc loco tantum et I Cor.1.10 : (κατηρτισμένοιεν τῷ αὐτῷ νοΐ) ubi significat : « *unissez-vous dans un même esprit.* » Hinc et textus noster vertendus : « **qui se sont disposés pour la perdition.** » Ipsi ergo peccatores se aptaverunt in interitum.

3) vasa autem misericordiae Deus ipse praeparavit (προητοίμασεν) in gloriam : **praedestinatio enim ad gloriam opus est gratiae divinae.**

288. — III) **Conclusiones dogmaticae.**

a) **Maxima Dei libertas et independentia** in donis gratuitis concedendis apparet in historia populi electi, Moysis et Pharaonis, et ex allegoria figuli.

b) **Summa Dei potestas** in corda et voluntates hominum elucet praesertim ex historia Pharaonis : « *cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* » (v. 18) Ergo quaecumque Deus voluerit efficaciter, voluntas humana libere praestabit.

Nihil vero in Apostoli doctrina invenitur quod neget gratiam sufficientem omnibus datam.

289.—Scholion 1.—De distributione gratiae, quam ad observandam legem naturalem, thes. 14, probavimus necessariam, haec nota : Doctores multi,ii praesertim qui ad observationem, etiam mere honestam, legis naturalis exigunt gratiam quoad modum saltem supernaturalem, censent hanc gratiam probabiliter dari *solis credentibus* (Cf. Suarez, *De gr.* I c. 27) : argumenta quae afferunt non videntur valde stringentia.

Addunt, cum Suarez l. c, auxilia *proxime sufficientia* ad vitanda *omnia peccata longo tempore*, ex lege Dei non dari nisi *fidelibus justificatis*, ac proinde gratiam habitualem esse necessariam ad vitanda diu omnia peccata contra legem naturalem,non ut proximum auxilium ad id necessarium, sed ut **principale fundamentum et ratio obtinendi tale auxilium** : Opinio probabilis.

290.— Scholion 2.—De modo qua Deus infidelibus negativis subveniat dissentiunt theologi. (Cf. Suarez, *De Gratia l. 4 c. 11 n. 10* Capéran op. c.)

Prima sententia : sufficit fides lata, ex revelatione virtuali, facta supernaturalis per gratiam, cum voto fidei strictae.

Ita Ripalda, Vega etc. etc.

Cf. thesim de necessitate fidei.

Secunda sententia. Deus providit omnibus media necessaria ut fidem strictam concipiant, sed nonnisi mediante ministerio aliorum hominum (apud Suar. l. c. n. 16 et seqq.) — R.non videtur consistere cum voluntate Dei salvifica : singuli debent habere salutem suam in *propria* potestate.

Tertia sententia. Deus providet omnibus media salutis et quidem *immediate singulis* per interiorem illuminationem. R. hypothesis pia, sed gratuita.

Quarta sententia. Deus existens, Deus remunerator, duplex veritas creditu necessaria et sufficiens, innotescit omnibus vi primitivae revelationis, traditione propositae, et sic, praeveniente et auxiliante gratia entitative sup[i] adjuti, possunt omnes et singuli infideles negativi elicere actum fidei strictae dictae. —Ita novissime Fr. Schmid. *Dei ausserordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit.*

R) num illa notitia Dei existentis et remunerantis innotescit tanquam a Deo revelata ?

Quinta sententia. Exigit fidem strictam ; — quae singulis possibilis redditur dummodo faciant quod in se est a) *sive per gratiam entitative supernaturalem,* saltem ad quosdam actus certis temporibus datam : hi actus erunt positiva quaedam dispositio ad fidem formalem : Ita Wirceb. *De Gratia* n. 290 ; *De Fide* n. 216 Inst. 6. — b) *sive ope gratiae pure medicinalis* : qua si quis bene utitur, negative se disponit ad accipiendam suo tempore vocationem ad fidem ; cum qua incipit collatio gratiae entitative sup[is] ad omnes actus qui tendunt ad fidem formalem concipiendam. Ita Suarez et multi alii. — *Sent. communior.*

291. — Scholion 3. — Ex thesi 36[a] sequitur, a veritate recedere auctores affirmantes gratiam sufficientem subtrahi illis qui vocationis gratiam neglexerint.

Etenim vocatio ad statum altioris perfectionis, per se res est de consilio, non de praecepto. Hinc nulla obligatio, neque gravis, neque levis, perfectionem altiorem amplectendi.

Imo, etiam si adesset obligatio gravis, non inde sequeretur reluctanti divinitus subtrahi auxilia gratiae sufficientis : Certo non pejor esset ejus conditio quam conditio peccatoris obstinati.

Cf. S. Alphons. Lig. *De praeceptis particularibus n. 78* ; Hurter n. 84.

Patet utique non sine periculo sperni tantam gratiam : *efficaciora* illi pauciaura, imo forsan nulla, concedentur auxilia.

292. — Quod si quaesieris in quonam consistat gratia vocationis, *respondendum videtur :*

1)Licet perfectior sit in se status consiliorum,et,**theoretice,** illum eligere possint omnes qui non habent impedimenta (quod concedendum est *P. Piat* et *P. Vermeersch*).

2) Tamen mera absentia impedimentorum plerumque non est signum sufficiens certae vocationis, **sed aliqua invitatio positiva requiritur :** « *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Qui potest capere capiat.* » (Mat. XIX, 11) « *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* » (I Cor. VII, 82).

3) Invitatio positiva ad statum perfectionis **non omnibus communis est, practice.** (contra Piat, Vermeersch (?) *De Religiosis* t. 2 p. 19-57).

Probatur :

a) Status perfectionis altioris supponit statum *communem.*

b) Ecclesia canonizat, et tanquam exemplaria proponit, etiam sanctos qui in vita communi Deo famulati sunt.

c) Ecclesia constituit impedimenta dirimentia.

4) Non datur aliqua specifica entitas quae sit gratia vocationis.

5) Sed positiva invitatio ad statum altiorem constituitur **cumulo donorum exteriorum et motionum internarum,** quae ex divina Providentia circa nos ad generalem Christi invitationem accedunt. Motiones vero internae sunt tum illustratio intellectus, tum inspiratio voluntatis, tum etiam, **quandoque sed non necessario,** motus appetitus sensitivi (l'attrait sensible*)*.

293. — Quae doctrina, a doctoribus communiter recepta, et ab Ecclesia sancita, applicari debet etiam **vocationi sacerdotali** quatenus, etiam illa, vocatio est ad statum altiorem. Ad cumulum vero donorum exteriorum quae constituunt, quoad partem, vocationem sacerdotalem, **imprimis pertinet libera electio episcopi** sine qua nullum unquam jus ad ordinationem habetur.

Per decretum vero 1ª julii 1912, *in re Domini Lahitton latum*, non tantum nihil derogatum est de hac doctrina, sed non parvum accipit fulcimentum inde quod statuit « conditionem quae **ex parte Ordinandi debet attendi, quaeque Vocatio sacerdotalis appellatur** » (en sententia, quae propria est Domino Lahitton, rejecta) nihil plus complecti « quam rectam intentionem simul cum idoneitate in **iis gratiae et naturae dotibus reposita,** et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire, ejusdemque obligationes sancte servare queat. »

Plura de vocatione dabunt Moralistae et scriptores ascetici.

294. — Scholion 4. — De inaequali distributione gratiarum.

Cf. Palmieri, thes. 42 ; Pasch n. 305, 306.

1° **Non eadem est quoad singulos distributio gratiarum.** — Constat tum ex Scriptura hoc factum passim affirmante v. g. Sap.IV,11 ; Rom. IX ; Matth. XI, 21 ; Luc. XII, 48 ; Matth. XXV, 15 : — tum experientia et historia.

2° **Haec inaequalis distributio non arguit ullam injustitiam in Deo.** a) Si agitur de prima gratia, ea est omnino indebita, eo vel magis quod homo,peccato originali nondum remisso,est positive indignus : Qua ratione saepe utitur Augustinus. Sic, *Contra duas Epist. Pelag.* II, c. 7 n. 13. M. 44, 580. — b) quoad collationem ulterioris et uberioris gratiae, licet certum sit eam nunquam denegari ei qui se praeparavit, potest tamen etiam longe uberior dari illi qui se non praeparavit ; c) revera, Deus tenetur tantum dare omnibus gratias sufficientes ; d) nec deest ratio congruentiae cur Deus gratias inaequaliter distribuat, aliis concedens gratias efficaces primae vocationis et perseverantiae finalis, aliis non : quia sic **magis manifestatur gratiae omnimoda gratuitas.** Cfr. S. Aug. *Enchir.* cap. 99. M. 40, 278.

295. — 3° In hac inaequali distributione gratiarum repositum est inscrutabile mysterium praedestinationis.

Revera, licet possit reddi aliqua ratio cur Deus elegerit hunc ordinem, prae alio in quo omnes salvarentur libere, non tamen potest reddi ratio adaequata et ultima ; — neque ullatenus potest, cur e duobus in iisdem adjunctis, unus assumatur, alter relinquatur, nisi recurrendo ad inscrutabilia Dei judicia. Ita S. Aug. *De dono pers.* cap. 9, n. 21, M. 45, 1004 ; S. Francisc. Sales. ; *Traité de l'amour de Dieu. II, c. 8.*

Et concludendum cum Apostolo, Rom. XI, 33. « *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ?* »

Cf. Molina, *Concord.* q. 23, a. 4 et 5 m. 13.

Index Analyticus

	Thes.	Pag.
PROLEGOMENA.		
Art. I. Adjumenta bibliographica		3
Art. II. Argumentum Scripturae		5
Art. III. Errores.		
I. De Pelagianismo.		9
II. De Semipelagianismo.		13
III. De Lutheranismo		16
IV. De Baianismo et Jansenismo		17
1) Doctrina Baii.		20
2) Doctrina Jansenii		21
Art. IV. Praesupponenda de ente supernaturali . .		24
Art. V. Gratiae notio et partitiones		
Gratia est donum gratis datum	I	25
Et dona naturalia possunt esse gratia . .	II	25
Divisiones gratiae creatae	III	27
Modus loquendi quorumdam Veterum Schol. n. 68		29
DE GRATIA ACTUALI.		
Conspectus doctrinae		30
Cap. I. Principia fundamentalia.		
Art. 1) Essentialis libertatis creatae a Deo dependentia	IV	31
Hujus dependentiae necessitas estne metaphysica? Schol. n. 71 sq.		32
Ergo Deus impedire posset omnem actum honestum. *Coroll. n. 74*		33
Art. 2) Perfecta hominis lapsi libertas	V	33
Cap. II. Gratiae actualis necessitas.		
Sect. I. Gratiae necessitas ad actus salutares .	VI	35
Gratiae necessitas ad initium fidei . . .	VII	38
Doctrina Patrum, Graecorum praesertim. Schol. n. 88 sq.		39
Gratiae necessitas ad perseverandum . .	VIII	40
Utrum perseverantia possit mereri. Schol. n. 98		45
Certitudo de dono perseverantiae. Schol. n. 99		45
Gratia excitans necessaria justo . . .	IX	45
Gratiae necessitas in statu naturae integrae .	X	47

SECT. II. GRATIAE NECESSITAS AD ACTUS MORALITER BONOS.

Art. I. Negative : quaenam gratia non requiratur : . .

Non requiritur gratia sanctificans aut caritas, neque fides . . . . . XI 47

Doctrina Augustini de operibus infidelium et peccatorum. Schol. n. III sq. 50

Neque ulla gratia quae adjiciat vires . . . XII 52

Art. 2. Positive : quaenam gratia requiratur : . . .

Requiritur cogitatio congrua ad omne opus honestum. XIII 54

«Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum». *Coroll. n. 131* 58

Scala donorum gratuitorum. *Coroll. n. 132* 58

Cogitatio congrua est gratia Christi. Schol. n. 133 59

Ad legem naturalem implendam requiritur gratia specialis . . . . . XIV 59

Victoria tentationum honesta. *Coroll. n. 140* 62

Gratia requisita in statu naturae purae. *Coroll. n. 141* 62

Omnis gratia justis datur supernaturalis. Schol. n. 142 62

Privilegio specialissimo tantum, vitantur omnia venialia . . . . . XV 62

Necessitas orationis. *Coroll. n. 146* 64

Cap. III. Gratiae actualis natura.

SECT. I. INSPECTA EJUS SUPERNATURALITATE.

Actus salutares sunt entitative et quoad substantiam supernaturales . . . . . XVI 64

Non omnis actus honestus est supernaturalis. Schol. n. 154 67

Act. salut. sunt supernaturales ex solo principio elicitivo . . . . . XVII 68

Initium salutis omnino gratuitum. . . . . XVIII 70

Ad salutem neque dispositio negativa naturalis datur. Schol. n. 166 73

Initium salutis gratuitum, etiam in alio ordine. Schol. n. 167 73

De axiomate : Facienti quod in se est . . . . XIX 74

SECT. II. INSPECTO EJUS MODO AGENDI.

Art. I. — Gratia excitans et adjuvans.

Conspectus doctrinae. 77

§ 1. Gratia excitans.
Gratia excitans est illustratio mentis et inspiratio voluntatis . . . . . XX 78
Incautus modus loquendi domini Lahitton. *Coroll. n. 180* 80
Quid sint hae illustrationes et inspirationes. . XXI 81
Causae, motus supernaturales excitantes. Schol. n. 184 82
Nulla motio virtuosa aut qualitas infusa . . XXII 82
Facultas entrinsece elevata. . . . . XXIII 85
Gratia praeveniens est causa moralis et physica. XXIV 87
§ 2. Gratia adjuvans.
Gratia excitans et adjuvans sunt una eademque entitas . . . . . XXV 90
Variae gratiae appellationes. Schol. n. 205 92
Actus salutaris principium adaequatum . . XXVI 93
Num gratia supernaturalis experimento deprehendatur? Schol. n. 211 sq. 95
Art. 2. — Gratia sufficiens et efficax.
Conspectus doctrinae 97
§ 1. Gratia sufficiens.
Datur gratia vere et pure sufficiens . . . XXVII 98
Gratia etiam pure sufficiens dat posse relativum XXVIII 100
Dat vires ad agere . . . . . XXIX 103
In quonam, physice, consistat gratia sufficiens. *Coroll. n. 231* 106
§ 2. Gratia efficax.
Gratia efficax est in actu primo . . . . XXX 106
Rejicitur doctrina Calvini et Jansenii . . . XXXI 108
Rejicitur praedeterminatio Beñaziana . . XXXII 108
Rejicitur explicatio quorumdam Scotistarum. *Coroll. n. 246* 115
Gratia efficax non consistit in auxilio necessitante moraliter . . . . . XXXIII 115
Gratiae efficacia non est mera congruitas. *Coroll. n. 253* 117
Non datur duplex genus gratiae efficacis. *Coroll. n. 254* 117
Sententia Molinae . . . . . XXXIV 117
Admittenda est praedeficidio saltem virtualis . XXXV 121
Gratia efficax secundum S. Augustinum. Schol. n. 266 122
Gratia efficax secundum S. Thomam. Schol. n. 268 124

Cap. IV. — De gratiae actualis distributione.

Distributio gratiae sufficientis supernaturalis. XXXVI 125
Cui doctrinae non obstat Rom. IX, 3-35 . . XXXVII 130
Distributio gratiae ad servandam legem naturalem necessariae. Schol. n. 289 132
Quomodo Deus subveniat infidelibus negativis. Schol. n. 290 133
Gratia vocationis. Schol. n. 291 ssq. 133
Inaequalis distributio gratiarum. Schol. n. 294 sq. 135

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

(Ad usum stricte privatum)

« Dedit eis potestatem filios Dei fieri. » (Joan. I, 12).

II

DE JUSTIFICATIONE

DE MERITO

P. RIEDINGER S.J.

ROLLARII FLANDRORUM
Typographia Julii De Meester
1913.

De Justificatione

PRAENOTANDA.

1. — I. Explicatio vocis.

Justitia, sensu latiori, significat rectitudinem quamdam et aequitatem. In tractatu nostro, justitia intelligitur rectitudo seu **recta ordinatio hominis ad Deum et vitam aeternam.** Complectitur omnia dona supernaturalia quibus fit hujusmodi ordinatio quoad esse et agere.

Cf. Suarez, *De Gratia*, l. 7. c. 6 ; Hurter III n. 180; Van der Meersch n. 96 sq. ; Habert, *Graecor. Patrum*... p. 386 sq.

Justificatio est hujus justitiae vel acquisitio (activa) vel collatio (passiva). Definitur a Tridentino sess. VI cap. 4 B. 796 (678) : « translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum.» — Et in cap. 7° : justificatio « non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae... »

II. Methodus.

Haec « sanctificatio et renovatio interioris hominis » in hac parte tractatus venit declaranda et explicanda, quam Patres, imprimis Augustinus et Patres Graeci, amore praecipuo et eximia diligentia exposuerunt. Illorum igitur doctrinae praesertim insistemus, illorum testimonia graviora proponentes, ut reprehensionem effugiamus qua non immerito prosequitur P. Jovene quosdam theologos qui « immemores methodi a S. Thoma praestitutae, in theologia eodem vitio laboraverint ac in scientiis naturalibus. Quemadmodum in scientiis naturalibus observationem neglexerunt ad detegendum facta et leges naturae, ita in scientia supernaturali Scripturam et Patres minus curantes theoriis a priori indulserunt. » (*De Vita deiformi* p. 375).

2. — III. Tractatus divisio.

Liber I. Summa doctrinae revelatae.	Thes.
I. Ex Scriptura et Traditione.	I
II. Ex Tridentino, sess. VI.	II
Liber II. Doctrinae revelatae explicatio.	
Cap. I. Dispositiones requisitae.	III-VII
Cap. II. Justificationis natura.	
Sect. I. In genere.	VIII
Sect. II. In specie.	
Art. 1. Effectus negativus : **remissio peccatorum.**	IX
Art. 2. Effectus positivus : **deificatio.**	
§ 1. Factum deificationis.	X
§ 2. Facti explicatio.	XI
§ 3. Deificationis causa formalis.	XII
Gratia increata : Spiritus Sanctus.	XIII
Gratia creata.	XIV
§ 4. Unio justi cum Christo.	XV
Cap. III. Justificationis causae.	
Cap. IV. Justificationis proprietates.	
Art. 1. Inaequalitas.	XVI
Art. 2. Amissio.	XVII
Art. 3. Conservatio.	XVIII
Art. 4. Cognoscibilitas.	XIX

3. — IV. Adjumenta.

S. Thomas I. II q. 110 sq. ; I, q. 43 a. 3 ; Cont. Gent. IV, c. 21, 22.
Scot. I D. 17 ; IV D. 14, etc.
de Montefortino : *Summa theologica* t. IV p. 702-771.
Suarez, *De Gratia* l. 6 ad fin.
Vasquez, I. II, D. 198 ad fin.
Bellarmin., *De justificatione impii libri quinque.*
Tanner, D. 6 q. 110 ad fin.
Gotti, tom. II tract. VI q. 3 ; tract. VII et VIII.
Berti, *De theologicis disciplinis*, t. III l. 19.
Struggl, pars I. tract. VI, D. 5 et 6.
Habert, *De Gratia habituali et ei annexis.* Migne *Cursus.* t. X col. 1439 sq.

Petavius, *Dogmat. theol. De Trinitate*, l. 8 c. 4 sq.
Thomassin, *De Incarnat.* l. 4, c. 2 sq.
Habert, *Theologiae Graecorum Patrum.... libri tres.*— Liber tertius. (Paris, 1647).

Kleutgen S. J., *Die Theologie der Vorzeit* t. II p. 254 sq.
Jovene S. J. *De Vita Deiformi* (Paris, 1880-81).

de Régnon S. J., *Etudes de théologie positive sur la sainte Trinité*, t. IV, p. 425 sq.

Scheeben, *Natur und Gnade* (Mainz, 1861).

Mysterien des Christenthums (Herder 1898) p. 141 sq. ; 325 sq. ; 543 sq.

Dogmatik III § 168-175.

Desjardins S. J., *De l'inhabitation du St. Esprit dans les âmes justes.* Rev. des Sciences ecclésiastiques 1867, 68 (5 art.)

Froget, O. P. *De l'inhabitation du St. Esprit dans les âmes justes d'après la doctrine de St. Thomas d'Aquin.* Rev. Thom. 1897, 98. — Lethielleux, 1898.

Froget-Bellevue, *L'œuvre du St.Esprit.* Rev Thom. 1902 p.336 sq.; 554 sq.

Granderath S. J., Zeitschrift f. Kath. Theol. 1881-1884. (Controversia cum Scheeben).

Manning Card. *The temporal Mission of the Holy Ghost.*

Newman, *Lectures on the doctrine of Justification.*

Ramière, *Le Cœur de Jésus, notre vie par la grâce*, Messager du Sacré-Cœur, 1865 (tres artic.).

Les espérances de l'Église, p. 610 sq. ; 742 sq.

Le Cœur de Jésus et la divinisation du chrétien.

Kohlhofer, *S. Cyrillus Alexandrinus de sanctificatione.* (Würzburg, 1866).

Weigl, *Die Heilslehre des hl. Cyrillus von Alex.* (Mainz, 1905).

Mahé S. J. *La sanctification d'après St. Cyrille d'Alexandrie*, RHE 1909, p. 30-41 ; 469-493 ; *St. Cyrille d'Alexandrie.* DTC.

Scholl, *Die Lehre des hl. Basilius von der Gnade.* (Herder, 1881).

Aufhauser, *Die Heilslehre des hl. Gregor von Nyssa.* (München, 1910).

Körber, *S. Irenaeus de gratia sanctificante.* (Würzburg, 1865).

Mausbach, *Die Ethik des hl. Augustin*, t. II p. 118 sq.

Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über justitia Dei und justificatio* (Mainz, 1905).

Tobac, *Le problème de la justification dans St. Paul* (Louvain, 1908). Cf. RHE. 1908 p. 5 s. ; *Grâce*, Fondements scripturaires de la doctrine de la D A, 1912 col. 323-344.

Frutsaert, S. J. « *Justice de Dieu* » dans St. Paul, Recherches 1911 p. 167-182.

Prat, *La théol. de St. Paul* II, p. 361 sq.

Lainez, *Disputatio de justitia imputata (Disp. Trident.* ed. Grisar t. II p. 153 sq.)

Hefner, *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes.* (Schöningh, 1909).

Prumbs, *Die Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der heiligmachenden Gnade* (Schöningh, 1910).

Seeberg, *Beiträge zur Entstehungsgechichte der Lehrdekrete des Konzils von Trient*, Zeitschr. f. kirchl. Wissen... 1889, p. 649 sq.
Vega, *De Justificatione* (Coloniae 1572).

Monsabré, 18ème Conférence, *La vie divine dans l'homme*. (t. V).
Janvier, *Carême* 1910, 3ème, 5ème, 6ème Confér.
Sauvé, *L'homme intime*.

LIBER PRIMUS : SUMMA DOCTRINAE REVELATAE

CAP. I. QUID DOCEANT SCRIPTURA ET TRADITIO.

Thes. I. — Revelationis divinae circa generis humani justificationem summa has fere veritates complectitur : Justus, fidei et baptismi gratia regeneratus in vitam novam, membrum Christi vivum effectus, in statum originalis sanctitatis restitutus. ideoque mundus a peccato Deoque summe conjunctus, consors est divinae naturae, filius Dei adoptivus et heres gloriae,per gratiam Spiritus Sancti in ipso habitantis.

Adjumenta bibliographica vide Thes. XI et XII.

4. — Scopus theseos est statim ab initio tractatus summatim proponere complexum doctrinae revelatae de hominis justificatione. Breviter igitur, remissa ad theses ulteriores pleniore textuum discussione, aperienda sunt quae Verbum divinum scriptum et traditum de hac materia doceat.

Constat vero thesis, ut ex ipsa formula patet, sequentibus assertis :

I. Justus est membrum Christi vivum.

« Sicut rivuli pendent a fonte a quo manant, domus a fundamento cui innititur, lumen vel radius potius solis a sole, ita procul dubio pendet justitia nostra a justitia Christi.

Neque habet aliquid decoris aut fulgoris coram Deo nostra gratia, neque nos ei gratos efficit, nisi quatenus justitiae Christi innititur, et illius lucidissimis et fulgentissimis meritis irradiatur et illustratur, et participatio quaedam est plenitudinis eorum. Omnia enim beneficia divina a patre coelesti defluunt, ut monstravimus, ob merita Christi... » Vega, *De Justificatione* l. 4 c. 8 (p. 48).

Christus autem justitiae nostrae non tantum est causa meritoria, — Cf. I Joan. II, 2 ; IV, 10 ; III, 5, 8 ; Matt. XX, 28 ; XXVI, 28 ; Marc. X, 45 ; XIV, 24 ; Luc. XXII, 20 ; I Cor. XV, 3 ; I Tim. II, 6 ; I Petr. III. 19 ;

Sed caput est corporis cujus nos membra sumus.

Rom. XII, 4. 5 ; I Cor. VI, 15 ; XII, 12 ; Ephes. IV, 15 sq. ; Coloss. II, 8-13 ; (Cf. cum doctrina Joannis de Christo vite, Joan. XV, 4 sq.).

S. Athanasius *Orat. 3 contr. Arianos* n. 22 M. 26, 368 sq. Omnes in Christo gestati unum corpus et unus Spiritus sumus cum ipso.

S. Hilarius Pictaviensis, *De Trin.* l. 2 n. 24 M. 10, 66. « Humani enim generis causa, Dei filius natus ex Virgine est et Spiritu Sancto, ipso sibi in hac operatione famulante ; et sua, Dei videlicet inumbrante virtute corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit ; ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem, **sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret...** » Cf. *In Ps.* 51 n. 16 M. 9, 317 C.

S. August. *In Ps.* 62, 2 M. 36, 748 sq. « Ille enim unus qui natus est de Maria et passus est, et sepultus est, et resurrexit, et ascendit in coelum, et modo ad dexteram Patris sedet et interpellat pro nobis, caput nostrum est. Si ille caput est, nos membra sumus ; **tota Ecclesia ejus, quae ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput.** Non solum autem fideles qui modo sunt sed et qui fuerunt ante nos, et qui post nos futuri sunt usque in finem saeculi, omnes ad corpus ejus pertinent ; cujus corporis ipse caput est, qui ascendit in coelum... » Cf. *De Praedestinatione Sanctorum* n. 31 M. 44, 982 sq.

S. Leo Magnus. *Sermo 10 De Nativ.* c. 7 M. 54, 234 B ; *Sermo 14 De Passione Domini* c. 4 M. 54, 363 C ; *Sermo De Ascensione Domini* I c. 4 M. 54, 396 B ;

S. Maximus Taurin. *Hom. 4 in Pasch.* M. 57, 364 sq.

5. — II. Et per generationem spiritualem,

S. August. *De peccat. merit.* l. 1. n. 60 M. 44, 144. « ...Nemo, inquit, ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit. Filius hominis, qui est in coelo. Sic **fiet generatio spiritualis, ut sint coelestes homines ex terrenis ;** quod adipisci non poterunt, nisi membra mea efficiantur, ut ipse ascendat qui descendit ; quia nemo ascendit, nisi qui descendit. Nisi ergo in unitatem Christi omnes mutandi levandique concurrant, ut Christus qui descendit, ipse ascendat, non aliud deputans corpus suum, i. e. Ecclesiam suam quam se ipsum... »

S. Basilius, *De Spiritu Sancto* c. 15 n. 35 M. 32, 127 (Cf. infra).

Quae fit per fidem et baptismum,

Joan III. 36 ; V, 24 ; XI. 25 ; III, 15-17 ; I Joan. I, 12, 13 ; V, 1 ; Ephes. I, 13, 14 ; Gal. V, 6 ; Joan. III, 3, 5 ; I Joan. III. 9 ; Gal. III, 27 ; I Cor. VI, 11 ; XII, 13 ; Tit. III, 6, 7 ; Rom. VI, 3, 4 ; VIII, 1 ; Coloss. III, 3.

Didymus Alex. *De Trin.* l. 2 c. 12 M. 39, 668 (Cf. infra n. 7) ; S. Leo M. *Sermo 10 De Nativ.* c. 7 M. 54, 234 B.

S. August. *De peccat. merit.* l. 1. n. 10 M. 44, 114 : « Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei : sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam et Christum imitantur Sancti ejus ad sequendam justitiam. Unde et idem Apostolus dicit : « Imitatores mei estote sicut et ego Christi » (I Cor. XI, 1). Sed praeter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur, illo opere, de quo idem praedicator ejus dicit : « Neque qui plantat est

aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus ». (Id. III, 7). **Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori,** qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad justitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis : sic et ille in quo omnes moriuntur, praeter quod eis qui praeceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes ».

S. Basil. *De Spiritu Sancto,* n. 24 M. 32, 114 ; « Christiani, unde nos ? Per fidem dicet quilibet. Salvi autem fimus, quo modo ? **Nimirum regenerati per gratiam quae confertur in baptismo** ».— c.15 n. 35 M. 32, 127 sq. « Dei ac Servatoris nostri circa hominem dispensatio revocatio est a lapsu, reditusque ad Dei familiaritatem ab alienatione quam induxit inobedientia. Hanc ob causam, adventus Christi in carne, evangelicae conversationis formae, afflictiones, crux, sepultura, resurrectio, ut homo qui salvus fit per imitationem Christi, veterum illam filiorum adoptionem (υἱοδεσίαν) recipiat. Itaque necessarium est ad vitae perfectionem Christum imitari, non solum in exemplis, quae in vita demonstravit, lenitatis, humilitatis ac patientiae, verum etiam ipsius mortis sicut Paulus ait Christi imitator : conformatus morti ejus, si quomodo perveniam ad resurrectionem ex mortuis (Philip. III, 10,11). Quomodo igitur fit, ut simus in similitudine mortis ejus ? **Consepulti cum illo per baptisma**. Quis igitur est modus sepulturae, aut quis ex imitatione fructus ? Primum quidem necesse est vitae prioris seriem interrumpi. Id autem nemo potest consequi, nisi natus denuo, juxta Domini vocem : siquidem generatio, ut ipsum etiam nomen declarat, alterius vitae initium est. Quare antequam alteram vitam incipias, oportet priori finem imponere... Baptisma quodammodo repurgat animam a sordibus, quae ei a carnali sensu accedunt... Cum enim duo scopi propositi sint in baptismo, videlicet ut aboleatur corpus peccati, ne postea fructificet morti, tum ut vivatur spiritu, et fructus habeatur in sanctificatione ; aqua, mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens : Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas in pristinam vitam. **Hoc igitur est denuo nasci ex aqua et Spiritu :** quippe quia mors perficitur in aqua, vitam vero nostram operatur Spiritus... ».Cf. *Homil. in Sanctum Bapt.* M. 31, 433 A. B. « **Baptismus** captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, **regeneratio animae,** indumentum lucidum, sigillum quod conatu nullo frangi potest, vehiculum ad coelum, regni conciliator, adoptionis donum (υἱοθεσίας χάρισμα). »

6. — III. Vitam habemus novam,

Joan. V, 11.

S. Cyril. Alex. *In Joan.* l. 4 M. 73, 560 A « **Fides itaque janua et iter est ad vitam, et a corruptione ad incorruptionem reditus.** » Cf. l. 10 M. 74, 437 D.

S. Ambros. *De Spiritu Sancto* l. 3 c. 10 n. 64 M. 16, 791 B. « Quis est qui **nascitur de Spiritu, et qui efficitur Spiritus**, nisi qui renovatur Spiritu mentis suae ? Hic est utique qui per aquam **regeneratur** et Spiritum Sanctum ; quoniam per lavacrum **regenerationis** et renovationis Spiritus spem vitae capimus aeternae... »

7. — IV. Et ita restituimur in statum justitiae originalis,
Rom. V, 12 sq.

Didymus Alex. *De Trin.* l. 2, c. 12 M. 39, 668 sq. : « Renovat igitur nos in baptismo Spiritus Sanctus ut Deus, una cum Patre et Filio, **nosque ex deformi statu ad pristinam pulchritudinem reducit, ac sua implet gratia**, adeo ut nullam amplius rem, quae expetenda non sit, capere possimus : et liberat a peccato atque a morte : et ex terrenis, i. e. ex « terra et cinere » (Gen. XVIII, 27) spiritales facit, et participes divinae gloriae, et filios et haeredes Dei ac Patris, et conformes imaginis Filii, et cohaeredes ejus, et fratres, una cum eo glorificandos, simulque cum ipso regnaturos... Quotquot, inquit (Joannes), in Christum crediderunt, potestatem acceperunt ut filii Dei efficerentur, i. e. Spiritus Sancti, utque congeneres fierent Dei ; quo honore dignati non sunt Angeli...

S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 11 c. 11 M. 74, 554 C. D : « ...Fieri autem non poterat ut nos qui semel exciderамus ob praevaricationem in Adam, **in pristinum statum aliter revocaremur** quam si ineffabilis illius participationis compotes efficeremur, et unionis cum Deo : sic enim initio natura hominis decorata fuit. Unio vero cum Deo non aliter in quoquam esse potest, quam per Sancti Spiritus participationem, propriam nobis sanctificationem inserentis, et ad suam vitam subjectam corruptioni naturam reformantis, atque ita ad Deum, et ad illius formam gloria ista privatos revocantis. Imago enim Patris perfecta Filius est, similitudo vero naturalis Filii est Spiritus ejus. Idcirco transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit, et supremae omnium substantiae effigiem insculpsit... »

Cf. *Thesaur.* M. 75, 584 D. sq.

S. Basilius, *De Spiritu Sancto* n. 36 M. 32, 132 (Cf. infra n. 9).

S. Hieron. *In Ephes. IV, 30* M. 26, 514 B : « Signati autem sumus Spiritu Dei Sancto, ut et Spiritus noster et anima imprimantur signaculo Dei, **et illam recipiamus imaginem et similitudinem ad quam in exordio conditi sumus.** Hoc signaculum Spiritus Sancti, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur. Hunc enim, ait, signavit Pater Deus (Joan. VI, 27). Signatur ergo a Patre, Spiritu Sancto, omnis qui ex eo quod credidit Deo, signavit, quia verus est Deus... »

8. — V. Mundi a peccato,
Rom. V, 15 sq. ; I Joan. III, 6-10 ; V, 16-18.

S. Cyrill, *Glaphyr. in Numeros* M. 69, 625 C. : « Quae nos eo (ad vitam) via ducit ? Baptismatis nimirum gratia, **qua sordibus universis ablutis,**

divinae participes videamur (ἀναδεικνύμενα) naturae, quae per Spiritum Sanctum habitet in nobis. Tunc enim, tunc, inquam, **mundatur conscientia**, ut Pauli verbis utar, **ab operibus mortuis**, et coelestis consortes reddimur benedictionis, et mentem superna gratia pleni, fervidi et spectabiles, et quid non hujusmodi videamur... ». Cf *In Malach. III, 3* M. 72, 334 D (infra n. 11) ; *In Luc. III, 21* M. 72, 524. ; *In Is.* l. 4 Orat 5 M. 1103 sq.

S. Basil. *De Spiritu Sancto* c. 15 n. 35 M. 32, 157 ; c. 19 n. 49 col. 157.

9. — VI. Deoque summe conjuncti, consortes efficimur divinae naturae et filii Dei adoptivi,

Joan. I, 12 ; I Joan. III, 1 ; Gal. III, 26 ; IV, 7 ; Rom. VIII, 15, 17.

S. August. *De Praedest. Sanctorum* n. 31 M. 44, 982 sq. : « Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus : de ipso Spiritu et hic renatus, de quo est ille natus ; eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum. Haec se Deus esse facturum profecto praescivit. Ipsa est igitur praedestinatio Sanctorum, quae in Sancto Sanctorum maxime claruit : quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis? Nam et ipsum Dominum gloriae, in quantum homo factus est Dei Filius, praedestinatum esse didicimus... (Cf. Rom. I, 1-4). Praedestinatus est ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis ; quia natus est de Spiritu Sancto, et Virgine Maria Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei et Filius hominis simul, Filius hominis propter susceptum hominem et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum veraciter et proprie diceretur ; ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Praedestinata est ista naturae humanae tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet : sicut pro nobis ipsa divinitas quousque se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset : ita multi praedestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quae perierunt per Adam : et regnet quae regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, unum Dominum... »

Cf. *Epist. 140* n. 9 sq. M. 33, 541 sq. ; *Sermo 156* n. 16, 17 M. 38, 858 ; *Sermo 166* n. 4. col. 909 ; *Serm. 352* n. 5 M. 39, 1504. —

S. Basilius, *De Spiritu Sancto* n. 36 M. 32, 132 : « Per Spiritum Sanctum datur in paradisum restitutio, ad regnum coelorum ascensus, **in adoptionem filiorum reditus : datur fiducia Deum appellandi Patrem suum**, consortem fieri gratiae Christi, filium lucis appellari, aeternae gloriae participem esse, et ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in praesenti hoc saeculo, tum in futuro : repositorum nobis

in promissis bonorum, quae per fidem fruenda exspectamus, perinde quasi jam adsint, gratiam velut in speculo contemplantes. Nam si talis est arrhabo, quale est illud quod perfectum est ? Et si tantae sunt primitiae, quae erit totius consummatio ?.. »

In Ps. VII, v. 9 M. 27, 238 B : « Et si credentes per fidem facti sunt filii Dei, ac propterea **digni sunt qui et ipsi vocentur dii.** »

In Eunom. l. 2, 19 M. 29, 612 B. C. : « .. Nam alibi etiam idem Apostolus (Paulus), qui in Spiritu Dei loquebatur, non existentes appellat gentes, quod essent Dei cognitione privatae, cum ait : quae non sunt elegit Deus (I Cor. I. 28). Nam, quoniam Deus est, qui est, et veritas, et vita, quicumque Deo, qui est, conjuncti per fidem non sunt, sed per suum circa simulacra errorem addicti sunt mendacio non existenti, jure, opinor, propter veritatis privationem, et a vita alienationem, non existentes appellati sunt. Sed et Ephesiis cum scriberet, **eos per excellentiam nominavit existentes tanquam qui ei qui est vere essent per agnitionem conjuncti :** quippe ait : Sanctis qui **sunt** et fidelibus in Christo Jesu (Ephes I, 1)... »

De Spiritu Sancto n. 23 M. 32, 109 C. « Hinc (= ex conjunctione cum Spiritu Sancto) similitudo cum Deo, et quo nihil sublimius expeti potest, **hinc est ut Deus fias.** »

S. Cyrill. Alex. *In Joan.* XX, 17. M. 74, 700 D. ; XVII, 24 col. 568 A ; I, 13 M. 73, 153-156. etc.

Cf. S. Anselm. *Liber Medit. et Orat.* n. 3. M. 158, 712.

10. — VII. Heredes gloriae,

II. Cor. VI, 18 ; I Joan. III, 2 etc...

S. August. *Serm. 156* n. 16, 17 M. 38, 858 ; S. Basilius, *De Spiritu Sancto*, n. 36 M. 32, 132. (vide supra). S. Cyrill. Alex. *In Joan.* XIV, 21 M. 74, 284 C ; l. 11, col. 462 sq. ; XVII, 24, col. 568 D. etc...

11. — VIII. Per gratiam infusam,

S. Basilius, *De Spiritu Sancto* n. 38 M. 32, 136 : « Nam purae et intelligentes et supermundanae virtutes, sanctae tum sunt, tum nominantur, **ex gratia a Spiritu Sancto infusa** sanctimoniam consecutae (ἐκ τῆς παρὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνδοθείσης χάριτος). »

S. August. *De perfect. just. hominis* n. 43 M. 44, 315 : « ... ut ex omni parte perfecti sine ulla simus omnino infirmitate peccati ; quod non solum vult Deus, verum etiam ut impleatur facit atque adjuvat. Et hoc nobiscum agit gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum praeceptis, sacramentis, exemplis ; sed etiam Spiritu Sancto, **per quem latenter diffunditur charitas in cordibus nostris** (Rom.V, 25, 5), quae interpellat (ed. Lov. : qui interpellat) gemitibus inenarrabilibus (Id. VIII, 26) donec in nobis perficiatur sanitas, et Deus sicuti est, videndus aeterna veritate monstretur. »

Cf. *in Epist. Joan.* tr. 5. n. 6 M. 35, 2015. — S. Joan. Chrysost. *In cap. I ad Ephes. Hom., I* M. 62, 11-15.

S. Cyrill. Alex. *In Malach. III, 3* M. 72, 334 D. sq. : « Divinus autem et coelestis ignis, **hoc est gratia per Spiritum Sanctum** (ἡ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος χάρις) qua possimus etiam viventes nos in Spiritu consummari, si, Christo immittente, in mentem atque cor penetret, tunc, nimirum, tunc omnem peccati scoriam ex praeteritis lapsibus contractam deterit. Atque ita purgatos etiam probatissimos reddit, et tantum non spirituali quodam modo aliter ad novitatem vitae fabricat, et vasa deinceps insignia et sanctificata et in honorem comparata et magnae domui, hoc est Ecclesiae, utilia efficit... »

12. — IX. Et Spiritum Sanctum inhabitantem.

I Cor. VI, 15, 20 ; Joan. XIV, 16, 17 etc...

S. August. *Epist. 187* n. 16 M. 33. 837. : « Verum illud est multo mirabilius, quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici potest quod ait Apostolus, vel quod jam dixi, vel etiam illud : Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (I Cor. III, 16) ? Unde et e contrario de quibusdam dicit : quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom. VIII, 9). Quis porro audeat opinari, nisi quisquis inseparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quod in aliquo habitare possit Pater aut Filius, in quo non habitet Spiritus Sanctus, aut in aliquo Spiritus Sanctus, in quo non et Pater et Filius ? Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, sed non ubique per habitationis gratiam .. »

Cf. n. 26, col. 841. : Spiritus Sanctus habitat etiam in parvulis baptizatis.

S. Basilius, *De Spiritu Sancto* c. 9, n. 22 M 32, 108 ; c. 16 n. 18 col. 136 sq. ; c. 21, n. 52 col. 165 B. C. ; *Cont. Eunom.* l. 5 M. 29, 770.

S. August. *De Civit. Dei* l. 10 c. 3 n. 2 M. 41,280 : « Huic (Deo) nos servitutem, quae λατρεία graece dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. **Hujus enim templum simul omnes, et singuli templa sumus** (I Cor. III, 16,17) ; quia et omnium concordiam, et singulos inhabitare dignatur : non in omnibus quam in singulis major ; quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, **ejus est altare cor nostrum** : ejus Unigenito eum sacerdote placamus : ei cruentas victimas caedimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus : ei suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus : ei dona ejus in nobis. nosque ipsos vovemus et reddimus : ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio : ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidae charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, eique cohaerendum, ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur, et ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus : ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cujus fine inter

philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohaerere : cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fecundaturque virtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, et in tota virtute praecipimur. Ad hoc bonum debemus, et a quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet, et Prophetae : Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua ; et, diliges proximum tuum tanquam teipsum (Mat. XXII, 37, 40)... »

S. Ambros. *De Isaac et anima* c. 3 n. 7 M. 14, 506 C : « Per hoc osculum adhaereat anima Deo Verbo per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis ; sicut etiam ii, qui se osculantur, non sunt labiorum praelibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere... »

S. Fulgent. Rusp. *Ad Monim.* l. 2 c. 11 M. 65, 190 ; — S. Hieron. *In Ephes. IV, 30* M. 24, 514 B (vide supra).

S. Irenaeus, *Adv. haeres.* l. 5 c. 6 M. 7, 1137. : » « Cum autem Spiritus commixtus animae maritur plasmati ; **propter effusionem Spiritus Sancti, spiritualis et perfectus homo factus est.** Et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei... »

S. Isidor. *Etym.* l. 7 c. 3 n. 15, 16 M. 82, 269 D : « Spiritus Sanctus ideo donum dicitur, eo quod datur. A dando enim donum est nuncupatum. Notissimum est enim Dominum Jesum Christum, cum post resurrectionem a mortuis ascendisset in coelum, dedisse Spiritum Sanctum, quo credentes impleti linguis omnium gentium loquebantur. **In tantum enim donum Dei est, in quantum datur eis qui per eum diligunt Deum... ;**

Alios textus vide thes. XII n. 75, 76.

CAP. II. DOCTRINA CONCILII TRIDENTINI.

Thes. II. Quod fidei divinae depositum fideliter custodiens, Ecclesia Christi sponsa, in concilio Tridentino, contra perniciosos Novatorum errores, infallibiliter declaravit et sancivit.

13. — *Concil. Trident.* edidit Societas Goerresiana I p. 82-122 ; II[1] p. 441-458 ; II[2] passim ; III[1] p. 555-603 ; V passim praesert. p. 500-509.

Theiner, *Acta Concilii Tridentini* I p. 156-381. Pallavicini, *Histoire du Concile de Trente,* l. 7, ch. 13 sq. ; Vega, *De Justificatione,* ; Denifle, *Luther und Luthertum,* t. I, 2 ; Denifle-Paquier, *Luther et le Luthéranisme,* t. II, p. 384 sq. ; t. III ; Lainez, S. J. *Disputationes Tridentinae,* ed. Grisar (1886) t. I, p. 153-192 ; Hefner, *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekrets* (Paderborn, Schöningh 1909) ; Prumbs : *Die Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der heiligmachenden Gnade,* (Paderborn, Schöningh 1909) ; Harnack, *Dogmengeschichte*[5] III p. 638-646 ; 758-761 ; Karl Müller, *Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche* (Cf. in indice : Rechtfertigung, Tridentinum). ; J. T. Müller, *Die symbolischen Bücher* (Rechtfertigung).

St. Q. 1) **Scopus theseos** : Indicare Summam doctrinae quam Concilium Tridentinum, sessione VI[a], contra Novatores vindicavit, ut inde pateat

quaenam capita sint definita et quaenam libere in scholis catholicis controvertantur.

14. — 2) **Novatorum errores** jam in tractatus Prolegomenis breviter notavimus. Cf. n. 37, 38. Sufficit hic pauca in memoriam revocare.

Protestantes non admittunt nisi reatum poenae. Deus formaliter odio habet quatenus vult plectere ; cessat ab odio, quatenus cessat ab infligenda poena. In justificatione peccata remittuntur, eo sensu quod teguntur, seu non imputantur ad poenam, intuitu meritorum Christi ; id fit vi fidei fiducialis qua quis firmiter confidit — ex influxu gratiae necessitantis — merita Christi esse sua. Status autem peccati manet, tum quatenus fieri nequit ut peccatum semel commissum non fuerit commissum ; tum quia per peccatum originale vitiata est natura quoad essentialia ; manet etiam in justificato concupiscentia (habitualis) peccaminosa, quae est ipsa peccatum et ex qua vitiantur intrinsecus omnia justi opera. — **Justitia igitur nostra tota extrinseca est, justitia nempe Christi.** — Quam nos implere non possumus legem, Christus ipse implevit pro nobis, ipse pro nobis intrinsece justus est, et nos justificamur quatenus haec justitia Christi nobis fiducialiter credentibus imputatur. Hinc, justitia, siquidem Christi una est et eadem semper, aequalis est in omnibus justis atque incapax omnis augmenti.

15. — 3) Ut doctrina Tridentini recte intelligatur exponenda est etiam sententia Cardinalium **Contarini** (1483-1542), **Hieronymi Scripandi** (1493-1563) et quorumdam aliorum (**Pighius**, **Grapper**, etc). Per justificationem attingimus ad **duplicem justitiam, alteram nobis inhaerentem,** qua incipimus esse justi et efficimur consortes divinae naturae et habemus charitatem diffusam in cordibus nostris ; **alteram vero nobis non inhaerentem ipsam scilicet justitiam Christi** quae nobis — modo fide apprehendatur — imputatur. Haec justitia Christi, nobis imputata sed extrinseca, praecipua est, cui proin principaliter inniti et fidere debemus.

Quomodo haec sententia cum haeresi Lutherana conveniat simulque ab illa discrepet, facile vides.

Cf. Hefner p. 189-221 ; 244-247 ; Lainez, l. c. ; Pesch V, n. 350.

Doctrinae Tridentinae analysis. Cf. B. 793 (675) — 843 (725).

16. — Cap. I. can. 1, 5, 6. — Tria docentur : Omnes homines peccato originali esse infectos. — Liberum arbirium esse viribus attenuatum, non tamen extinctum. — Neminem justificari posse sine gratia Christi.

N. B. 1) « *Praevaricatio* » Adae significat transgressionem legis *positivae.*

2) « Per *ipsam litteram* legis Moysi », non simpliciter « per legem », ne tangatur opinio Scoti de circumcisione conferente gratiam ex opere operato.

3) « Per legis doctrinam » (can. 1) : agitur *etiam de lege christiana,* quae nec ipsa justificat sine gratia *interna.*

4) « viribus attenuatum et inclinatum »quae formula vera manet *etiam si sola dona gratuita amissa sunt* per peccatum originale.

Cap. II. can. 1. — Qua propter Deus misit Filium suum qui omnes redimeret, « ut omnes adoptionem filiorum reciperent ».

Cap. III. can. 2, 10. — Ii tantum justificantur qui in Christo renascuntur, i. e. quibus merita Christi applicantur.

17.— Cap. IV.can. 5, de baptismo. B. 861(742). — Definitur justificatio: « *translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum.* » Quae definitio magis explicabitur capite VII°. — Cf. sess. V. c. 5 B. 742 (626).

Justificatio vero non fit sine baptismo saltem in voto.

N. B. Dicitur in capite « *post Evangelium promulgatum* », ne tangatur quaestio de modo quo Deus justificat infideles negativos. Cf. Thesim I p. 240 ; Vega p. 60 sq.

Cap. V. can. 3, 4, 5. — Contra errorem Lutheranorum de impossibilitate activae dispositionis voluntatis lapsae ad justificationem (sequela peccati originalis) docet Concilium **liberum hominis arbitirum se disponere cum gratia cooperando.**

N. B. 1) Canon tertius damnat etiam quosdam veteres scholasticos. Cf. Vega p. 78.

2) Canone quarto damnatur doctrina de voluntate hominis mere passiva et de gratia irresistibili.

18. — Cap. VI. can. 7, 8, 9. — Praeparatio adulti ad gratiam describitur.

N. B. 1) Sex actus ad justificationem disponentes Concilium enumerat, non ut definiat vel absolutam necessitatem horum actuum in omni casu, vel quemnam ordinem inter se obtineant, sed Patres « **viam communem aperuerunt.** » Cf. Vega p. 89, 93 ; Hefner p. 154.

2) « *credentes... intelligentes... fidentes* » quibus verbis significantur *actus*, non habitus, Hefner, p. 152, 153.

3) « *diligere incipiunt* » : significatur amor Dei *inchoativus*, ne tangat Concilium quaestionem controversam inter S. Thomam et Scotum, utrum in statu naturae lapsae amor Dei super omnia possibilis sit *etiam non justificatis ?* Cf. Schol. n. 26. — Suarez l. 8, c. 20.

4) » *Per odium aliquod et detestationem* », contra propositionem Lutheri a Leone X° damnatam : « *Optima poenitentia, vita nova.* » B. 747 (631).

5) Citatur Hebr. XI, 6 ut indicentur veritates quae de necessitate medii credendae sunt. Hefner p. 155, 156.

19. — Cap. VII, can. 10-14, 19. — Justitiae imputatae Lutheranorum concilium opponit **doctrinam catholicam de justitia inhaerente.** Complec-

titur vero justitia inhaerens : veram remissionem peccatorum, sanctificationem et renovationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo fit justus, amicus, heres.

Indicantur deinde hujus justificationis causae.

De quo capite Cf. Theiner p. 235, 250, 279 etc., Pallavicini l. 8. ch. 14 ; Bellarmin, *De justificatione* l. 2 c. 2.

N. B. 1) Can. 11 « exclusa gratia *et* caritate » ne damnetur vel doctrina S^i Thomae *de distinctione reali inter gratiam et caritatem*, vel doctrina Scoti negans distinctionem realem.

2) Ibid. « *esse tantum favorem Dei* » contra Veteres quosdam scolasticos. (Cf. Hefner p. 266).

3) Can. 19, fit mentio de decem mandatis, contra Melanchton docentem illa non habere vim obligantem.

4) In capite, « *per voluntariam susceptionem* » damnatur doctrina lutherana quod Deus *et adultos nolentes* justificat.

5) « *Gratiae et donorum* » : nolunt Patres praejudicare quaestionem disputatam *de distinctione gratiam inter et dona*. Cf. can. 11.

6) « *Quae non est sola peccatorum remissio sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis* ».Qua doctrina nullo modo tanguntur quaestiones sequentes :

a) utrum peccata remittantur ante gratiae infusionem per actum judicialem Dei (Scotus) an per ipsam gratiae infusionem ? (S. Thomas). — *Patres non pauci sententiae Scoti favebant* ; Cf. Prumbs p. 29, Pallav. l. 8 ch. 4 n. 14.

b) utrum possibilis sit,absolute, peccatorum remissio sine gratiae infusione ? Hefner p. 258.

7) « *uuica formalis causa...* » Cum doctrina Lutheranorum damnatur hic sententia Contarini, Scripandi etc. de duplici justitia et sententia quae videtur esse Magistri I D. 17 n. 7 ; (Cf. tamen quosdam v.g. Vasquez I.II D. 103 c. 1) quod **solus Spiritus Sanctus** sit justificationes causa formalis. — Nullo modo autem praejudicatur quaestio utrum **gratia creata unica causa** sit **formalis** (vide sententiam Petavii).

Cf.Hefner p. 260 sq.; Prumbs p. 33 sq. ; Pallavic. l. 8 c. 4 n. 15.— Formula « *non qua ipse justus est sed..* » fere ad verbum desumpta est ex S. Augustino, *In Joan. tr. 26 n. 1* M. 35, 1607.

8) « *simul infusa accipit* » per oppositionem ad actus, significatur **donum permanens.**

9) « *Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas* », contra Lutherum de sufficientia solius fidei. Cf. thes. VI.

10) Utrum subjectum gratiae habitualis sit ipsa substantia animae an aliqua facultas (Cf. n. 85) non dicit Concilium.

20.— cap. VIII. can. 9, 19-21.— Contra falsam Lutheranorum interpretationem vindicatur verus sensus Apostoli, Hebr. XI, 6.

Definiuntur deinde in canon. propositiones sequentes :

Sola fides non justificat ; requiritur aliqua voluntatis praeparatio ; Homo

etiam justificatus tenetur ad observationem mandatorum ; Christus etiam legislator est cui homines obediant.

Cap. IX. can. 12-14. — Damnatur fides fiducialis Novatorum.

N.B. Dicitur in fine capitis : « *cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* » Hinc. concilium non docet neminem posse habere certitudinem **veram, sed diversam a certitudine fidei.** Imo neque ipsa damnatur sententia Catharini.

Cf. Schweizer : *Ambrosius Catharinus Politus*, p. 159-165 ; 188-202.
Cf. Vega p. 217, Pallavicini l. 8 c. 12 n. 9 ; c. 13. Theiner p. 216-220 etc. Vide thes. XIX.

Dicit concilium certitudo : « *cui non potest subesse falsum* » ; dixerat primo : certitudo « *fidei catholicae* » ; sed haec definitio non fuisset accurata, siquidem significare potuisset fidem qua *omnes* fideles credere *debent* veritatem revelatam. Cf. Vega p. 216 sq. ; Hefner p. 323 sq.

21. — Cap. X. can. 24, 32. — Definitur justitiam posse augeri justumque posse mereri.

Cap. XI. can. 18-21, 25, 31. — Definitur operum bonorum possibilitas et necessitas, contra Lutherum docentem mandatorum observationem esse impossibilem, inutilem, imo perniciosam.

N. B. 1) Dicitur in capite :« *quantumvis justificatus* ». Concilium ergo non docet etiam non justificatos posse praecepta servare.
Cf. Vega p. 387.

2) « *quantumvis sancti et justi* ». Ergo saltem lege ordinaria etiam sancti aliquando peccant venialiter. Cf. can. 23. — Vide tract. de gratia actuali thes. XV.

Cap. XII. can. 15-17, 23. — Damnatur sententia Calvini de praedestinatione. Cf. th. XV, n. 143 sq.

22. — Cap. XIII. can. 22. — Definitur contra Novatores justum sine gratia speciali **non posse perseverare ;** quam gratiam specialem nemo scit se habere.

N. B. 1) Dicitur :« aliunde *haberi* non potest..».Ergo non tangitur quaestio num justus gratiam perseverantiae possit *mereri.*

2) « *In laboribus, in vigiliis....* », ut contra Novatores horum operum utilitas et necessitas iterum inculcetur.

3) Ratio incertae perseverantiae indicatur non Dei absoluta voluntas efficaciter praedestinans, sed unice mobilitas voluntatis humanae. — Cf. De Gratia act. n. 95.

Cap. XIV. can. 29, 30. — Definitur 1) possibilitas justificationis secun-

dae non per solam fidem sed per sacramentum poenitentiae, 2) quod non omnis poena cuicumque peccatori poenitenti remittitur.

Cap. XV. can. 27, 28. - Non solum peccatum infidelitatis mortale est. — Omni peccato mortali amittitur gratia, non vero fides.

Cap. XVI. can. 2, 26, 32. — Damnatur 1) Novatorum error, nulla esse opera meritoria, 2) sententia quorumdam catholicorum (Cf. Hefner p. 219) qui, innixi doctrinae Contarini et Scripandi, putabant justificatum, ut gloriam aeternam mereretur, opus habere etiam imputata justitia Christi. Cf. n. 15.

N. B. Dicitur in capite :« *Quae virtus bona eorum opera semper antecedit...*», ubi *virtus bona* significat gratiam actualem. — Cf. Vega p. 668 ; Hefner p. 273.

LIBER SECUNDUS : DOCTRINAE REVELATAE EXPLICATIO.

CAP. I. DISPOSITIONES AD JUSTIFICATIONEM REQUISITAE.

Thes. III. — Ut adultus justificetur, dispositio aliqua, ex gratia supernaturali et libera ejus cooperatione profecta, requiritur.

Hurter n. 137, 152 ; Pesch n. 352-359 ; Jungmann n. 286 sq. ; Van der Meersch n. 153-160, 176, 177 ; Suarez l. 8 c. 5-8 ; Ripalda, D. 132 s. 31 ; Habert, *Graecor. Patr....* p. 403, sq.

23. — St. Q. — Haeresis est **Lutheranorum** hominem, peccato originali corruptum ac libertate privatum, omni activitate bona esse destitutum et proin quidquid ad justificationem activam pertinet a solo Deo perfici. Contra hunc errorem fundamentalem thesis nostra ponitur.

Agimus tantum de adulto peccatore. Quoad parvulos, saltem theologice certum est eos nulla dispositione indigere. Cf. Florent. B. 712 (603) ; Trident. VII can. 13 B. 869 (750).

Dispositio est actuatio aliqua subjecti in ordine ad aliquam formam acquirendam.

Est **positiva**, si per illam subjectum per se indifferens ita perficitur, ut forma introducenda quasi complementum sit connaturale actus subjecti. — Hanc in thesi vindicamus.

Est **negativa**, si removet tantum prohibens.

Dispositio positiva est

vel **proxima** : qua posita, omnia requisita adsunt ;

vel **remota** : qua posita, omnia requisita nondum adsunt.

Dicitur physica, si influxus ejus physicus est ; moralis, si jus tantum aut decentiam aliquam inducit, ut forma ab alio introducatur.

Quomodo dispositio secernatur a merito, ab impetratione etc. : vide in tract. de Gratia actuali n. 160, 161.

Thesis quoad omnes partes est **de fide.**

Probatur.

24. — 1ª Pars. — Aliqua dispositio requiritur.

1) *Trident.* VI cap. 5-7 B. 797 (679) sq. ; can. 4-9 B. 814 (696) sq.

2) *Scriptura.*

« Convertimini ad me et ego convertar ad vos. » Zach. I, 3.

« Accedentem ad Deum.... » Heb. XI, 6. Cf. Trident. B. 798 (680).

« Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur. » Marc. XVI, 16.

3) *Ex praxi constanti Ecclesiae*, quae ad sacramenta baptismi et poenitentiae eos tantum adultos admittit qui rite sunt dispositi.

4) *Ratione theol.*

a) *a priori* :

α) Ex parte gratiae et adoptionis : non decet in filium adoptari peccatorem quamdiu ejus voluntas adhaeret peccato.

β) Ex parte hominis justificandi : decet hominem liberum ad finem duci per actus suos liberos.

γ) Ex parte Dei : non decet Deum amicitiam suam dare homini cujus voluntas manet Deo inimica.

b) *a posteriori :* sunt adulti qui non justificantur ; atqui Deus vult omnium salutem ; ergo qui non justificantur, pereunt quia deficiunt dispositiones.

25. — 2ª Pars. — Requiritur dispositio supernaturalis.

1) *Trident.* l. c. et can. 3. B. 813 (695).

Cf. Innoc. XI (Decret. 2. Martii 1679) prop. 57, B. 1207 (1074).

2) *Rationes theol.*

a) debet adesse proportio dispositionis cum forma inducenda.

Cf. S. Thomas I. II q. 109 a. 6.

b) Ex gratuitate absoluta justificationis. — Cf. De gratia actuali, thes. XVIII.

3ª Pars. — Dispositio ex libera voluntatis cooperatione profecta.

1) *Trident.* l. c. praesertim cap. 5 et can. 4.

2) *Rationes theol.*

a) Deus « *hominem ad justificationem movet secundum conditionem naturae humanae* ». S. Thom. I. II q. 113 a. 3.

b) Dispositio ad justificationem, in divinis litteris, est objectum praecepti, exhortationis, laudis.

26. — Scholion. — Ex probatis, etiam dispositio **ultima** ad justificationem, i. e. actus contritionis, debet esse supernaturalis. **Quaeritur quanam**

gratia eliciatur : utrum actuali, an habituali quae hoc instanti jam infunderetur.

Duae sunt sententiae :

1) *Elicitur ope gratiae habitualis.* — Ita : Vasquez *I. II* D. 211 ; Valentia, D. 8 q. 3 p. 4 § 2 ; q. 5 p. 4 quaestione 2 ; Cajetanus I. II q. 113 a. 8 ; Soto, *De nat. et gratia* l. 2 c. 18 ; Alvarez, *De auxiliis* l. 7 D. 66, concl. 2ª ; Billot, *De poenit.* p. 91-93 (ed. 3ª) ; Van der Meersch n. 187, 188, et alii. Innituntur Sº Thomae I. II q. 113 a. 8. — Cf. et Vega, *De Justific.* l. 6, c. 28 sq.

2) *Elicitur ope gratiae actualis,* quia gratia habitualis, et natura et tempore, posterior est contritioni disponenti. Ita : Suarez, l. 8 c. 11 ; Lugo, *De Poenit.* D. 8 s. 7 ; Gotti, t. II, tract. 7 q. 2 dub. 4 § 6 ; Pesch. V n. 360, et Nostri **communius.** — Cf. Scheeben, *Dogm.* II n. 966.

Haec ultima sententia videtur praeferenda.

Thes. IV. — Dispositio ad justificationem requisita imprimis complectitur fidem dogmaticam, qua credimus vera esse quae divinitus revelata sunt, non vero fidem fiducialem Protestantium.

Suarez l. 8 c. 15, 16 ; Hurter n. 138, 139 ; Pesch n. 361-369 ; Prat, *St. Paul*, passim, Cf. indicem t. II p. 552 : La foi comme principe de justification ; Van Noort n. 124-128 ; Scheeben, *Mysterien*, p. 569 sq.

Cf. tractatum De fide, thes. I.

Thes. V. — Necessitate medii credenda sunt, et quidem fide stricta, implicite omnia a Christo revelata, explicite vero Deus existens et remunerator.

Cf. tractatum De fide, thes. 24 et 25.

Thes. VI. — Sola fides non justificat.

Hurter n. 147, 148, 153-159 ; Pesch n. 359 ; Jungmann n. 291 sq. ; Van der Meersch n. 178-182 ; Van Noort n. 128 ; Suarez l. 8 c. 17 ; Chossat « *Dieu* » DTC, 786-791 ; Habert, l. c. p. 409 sq.

27. — Thesis est **de fide** contra Protestantes, quorum doctrinam exposuimus n. 14. — Cf. De Gratia actuali n. 38.

N. B. Non est tantum controversia de vocabulis. Cf. Leibniz, *Syst. theol.* n. 21.

Probatur.

1) *Trident.* VI cap. 6, B. 798 (680) et 11, B. 804 (686) ; can. 9, B. 819 (701).

2) *Scriptura.*

« Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ». *Mat. XIX, 17.*

« Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum ». *I Cor. XIII, 2.*

« Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum... sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est ». *Jac. II, 24-26.*

« Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum ». *Act. II, 38.*
« Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis ». *Luc. XIII, 3.*
« Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra ». *Act. III, 19.*

28.— Quoad oppositionem apparentem inter doctrinam Pauli (« Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis ». *Rom. III, 28.* — Cf. *Gal. II, 16)* **et Jacobi** (II, 24).

N. B. Quod iisdem verbis diversa significant Apostoli :

1) **fides,** apud Paulum est fides operosa, charitate informata (Cf. Gal. V, 5 sq.), apud Jacobum est nudus assensus intellectus qualem et daemones habent (Jac. II, 19).

2) **opera,** de quibus Paulus, fidem et justificationem praecedunt et sunt praecipue opera legis : Paulus scribit contra Judaizantes ; Jacobus vero, scribens christianis, loquitur de operibus quae justificationem consequuntur. Cf. S. August. *Lib.* 83 *quaest.*, q. 76 n. 2 M. 40, 88 ; *De fide et operibus* 14, M. 40, 211.

3) **justitiam** Paulus intelligit primam (translationem a statu peccati ad statum gratiae), Jacobus autem secundam, i. e. justitiae augmentum.

Cf. Prat, *St. Paul* I p. 243-245 ; Hurter n. 154, 155 ; Van der Meersch n. 181 ; Suarez, l. 8 c. 22.

29. — 3) *Patres.*

S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 10 M. 74, 560 D. Cf. M. 75, 125 D ; 128 A ; 348 ; 365 D. — *In Zachar.* VIII, 13 M. 72, 124. — *In Malach.* II, 12 M. 72, 305 A. *In Luc.* XIII, 23 M. 72, 776 D. Cf. 780.

Jul. Pomerius, *De Vita contempl.* l. 1 c. 19 M. 59, 433.

S. Justin. *Dial. cum Tryphone* n. 95 M. 6, 702.

4) *Ratio theol.*

a) Plures, quamvis habeant fidem, damnabuntur ex defectu bonorum operum. Cf. Matth. XXV.

b) Ecclesia ab adultis, tum baptizandis, tum reconciliandis, semper requisivit sinceram cordis conversionem.

Difficult. vide apud Hurter n. 153-159.

30. — Schol. De aliis dispositionibus requisitis.

Hurter n. 149-152 ; Pesch n. 359 ; Van der Meersch n. 183 ; Suarez l. 8 c. 17-20.

Remissa ad tractatus De Vera Religione et De Fide quaestione **de necessitate praeparationis moralis ad fidem,** nunc verbulum tantum dicendum est de dispositionibus quae requirit **Tridentin. VI cap. 6.**

Timor : removet ab amore peccati. « *Initium sapientiae timor Domini.* » Eccli. I, 16. — Unde S. August. *De catechiz. rud.* c. 5 « Rarissime accidit, imo vero numquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. » (M. 40, 316).

Spes : requiritur ex natura rei. Etenim nemo conatur obtinere nisi quod se assequi posse sperat. « Nemo potest agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » (Ambros. *De poenit.* l. 1, c. 1 n. 4 M. 16, 466 B). Ideoque et Christus eam exigit : « *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* » (Matth. IX, 2).

Dilectio : « *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* » (Luc. VII, 47). « *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* » (Joan. XIV, 21). — De efficacia dilectionis, vide Tractatum de Poenitentia.

Poenitentia : Cf. tract. specialem.

Quaenam sit, ex mente Tridentini, necessitas harum virtutum, Cf. thes. II n. 18 et Hurter n. 151.

Thes. VII. — Actus ad justificationem disponentes in gratiam producendam influunt non physice, sed moraliter.

Hurter n. 152, 259 sq. ; Schecben, *Dogmatik* II § 172 ; *Mysterien*, p. 564 sq. ; Wirceb. VII n. 418 ; Suarez l. 8, c. 3, 9, 10 ; Pesch, n. 356-358.

St. Q. — Duplex pars in thesi :

31. — 1ª contra Protestantes, docentes fidem justificantem non esse causam sed meram conditionem sine qua non : « Aux yeux du protestantisme officiel, la foi justifiante n'a aucune valeur morale ; c'est un simple instrument passif, une puissance purement réceptive, qui n'exerce aucune causalité et n'est qu'une condition *sine qua non ;* ce n'est que par un abus de langage qu'on peut dire qu'elle justifie... » Prat, *St Paul* II p. 353.

2ª pars, contra quosdam catholicos, v.g. **Medina** (In I, II, q. 113 a.8), **Alvarez** *(De auxiliis* D. 66 n. 3 concl. 1), qui tenent causalitatem dispositionum *esse physicam,* quatenus per eam anima fieret physice apta ad justitiam recipiendam, sic v. g. organisatio talis corporis humani, per suam physicam entitatem, absque ullo influxu morali, inclinat Deum ad talem animam infundendam.

Nos vero dicimus : actus disponentes causant moraliter per modum impetrationis et meriti de congruo, ita quidem ut dispositio ultima (contritio vel caritas) mereatur immediate gratiam habitualem, dispositio vero remota mereatur ulteriores gratias actuales quibus peccator ad dispositionem ultimam perveniat.

Probatur.

32. — 1ª Pars : Vere causant moraliter. — Certum.

1) *Trident.* VI cap. 5 n. 797 (679). Homo libera sua voluntate se movet ad gratiam. It. cap. 6, can. 4 B. 814 (696), liberum arbitrium cum gratia cooperatur, ut obtineat justitiam. Atqui nulla adest ratio exigendi cooperationem *liberam* nisi quia requiritur hominis *activitas moralis.*

Confirmatur ex sess. XIV, cap. 4 B. 897 (777), contritio disponit « ad *impetrandam* gratiam ».

2) *Ex doctrina Pauli,* homo justificatur
per fidem, διὰ πίστεως : Rom. III, 22. 25. 30 ; Gal. II, 16 ; III, 14. 24. Ephes. II, 8 ; III, 12-17 ; Phil. III, 9 ; II, Tim. III, 15.
πίστει : Rom. III, 28 ; XI, 20 ; I Cor. I, 24.
ex virtute fidei, ἐκ πίστεως : Rom. I, 17 ; III, 26, 30 ; IV, 16 ; V, 1 ; IX, 30-32 ; Gal. II, 16 ; III, 8. 11. 22. 24 ; V, 5

Atqui hoc modo loquendi significatur non mera conditio sine qua non, sed vera causalitas moralis.

Cf. Prat, *St. Paul* I p. 237 ; II p. 350.

3) *Ratione theol.*

Actus ad justificationem disponentes merentur de congruo gratiam habitualem ; atqui mereri de congruo est causare moraliter.

33. — 2ª Pars : Non causant physice. — Communius.

1) Influxus physicus non requiritur : etenim quod prohibet justificationem, peccatum, est quid morale.

2) Dispositio physica ad aliquam formam semper et in omnibus adest ; atqui dispositio ad justificationem non adest in parvulis.

3) Causalitas physica nullo valido argumento probatur.

CAP. II. JUSTIFICATIONIS NATURA.

SECTIO I. IN GENERE.

Thes. VIII.— 1. In Justificatione non solum vere delentur peccata, 2. sed fit interior hominis renovatio, 3. per Spiritum Sanctum in anima justi praesentem, et 4. gratiae sanctificantis infusionem.

Hurter n. 160-166 ; Wirceb. VII n. 421-427 ; Sabatier, *L'Apôtre Paul,* p. 318 sq. ; Prat. *St. Paul* II p. 344 sq ; 361 sq; Tobac, *Le problème de la justification dans Saint Paul* (Louvain 1908) ; Frutsaert, *La justice de Dieu dans St. Paul,* Recherches 1911 p. 167-182 ; Wieser : *Pauli Apostoli doctrina de justificatione ex fide sine operibus et ex fide operante..* (Trident. 1873) ; Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über justitia Dei und justificatio* (Mainz 1905).

34. — St. Q. Thesis ponitur praesertim contra errores Protestantium, quos vide n. 14.

1) Duplex est ordo effectuum peccati :

a) ex parte Dei, fundat duplex jus : ad odium, ad poenam.

b) ex parte peccatoris, duplex reatus : culpae (condignitas odii), poenae.

In justificatione reatus culpae (mortalis) tollitur plene, et reatus poenae saltem quoad partem principaliorem (poenam aeternam).

2) Quoad internam hominis renovationem, affirmamus in hac thesi factum renovationis per Spiritum Sanctum et gratiae infusionem ; modus vero explicabitur infra.

Probatur.

35. — Pars 1ª : Vere delentur peccata. — De fide defin.

1) *Docum. Eccl.*

Propos. 2ª Lutheri damnata, B. 742 (626)

Trident. sess. V. c. 5 B. 792 (674) ; sess. VI. cap. 4 B. 796 (678) ; sess. VI. cap. 7, can. 11 B. 800 (682), 821 (703) ; cap. 14 B. 807 (690) ; can. 29, 30 B. 839 (721) sq. } quoad justificationem baptismalem. } quoad justificationem secundam.

2) *Script.* (Cf. Hurter n. 161.)

Rom. V ; I Joan. III, 6-14 ; Joan. I, 29 ; Act. III, 19 ; Ephes. V, 26 ; I Cor. VI, 11 ; II Cor. VII, 1.

3) *Patres.* (Cf. n. 8.)

1. Basilius, *De Spiritu Sancto* c. 19 n. 49 M. 32, 157 ; c. 15 n. 35 col. 129 B. — *Homil. in Bapt.* M. 31, 433 A. B.

S. Cyrill. Alex. *Glaphyr. in Numeros* M. 69, 625 c. ; *De adoratione in sp.* l. 11 M. 68, 752 B. ; *De Incarn. Unigeniti* M. 75, 1241 A ; *In Luc.* III, 11 M. 72, 524 A.

S. Joan. Chrysost. *De sacerd.* 63 n. 6 M. 48, 644.

S. Justin. M. *Dial. cum Tryph.* n. 141 M. 6, 798.

S. Gregor. M. l. 11 *Ep.* 45 M. 77, 1162.

S. August. *Cont. duas ep. Pelag.* l. 1 c. 13 n. 26 M. 44, 562 ; *Enchir.* c. 52 M. 40, 256 (Cf. Faure p. 99 sq.) ; *In ps.* 31 enarr. 2. M. 36, 257 ; *In ps.* 113 enarr. 1 M. 37, 1475.

4) *Ratione theol.* (Cf. Wirceb. n. 422 III).

a) Mors Christi nequit esse minus efficax ut nos constituat intrinsecus justos, quam fuit peccatum Adae ut nos constitueret intrinsecus peccatores. Cf. Rom. V, 22 sq. — Cf. S. Thom. compend. theol. c. 144.

b) Si peccata non vere remitterentur, id fieret vel quia Deus non posset, vel quia non vellet. Atqui neutrum. α) Potest ; etenim nulla *implicantia*, siquidem peccatum remittere non est facere ut peccatum non fuerit commissum, β) vult, siquidem hoc toties promisit in Scriptura.

36. — Pars IIª : Fit interior hominis renovatio. — De fide defin.

1) *Documenta Eccl.*

Trident. sess. VI cap. 7 B. 799 (681) can. 10-14 B. 820 (702) sq.

2) *Script.*

a) Joan. I, 13 ; III, 3 sq. ; I Joan. III, 9.

b) Paulus :

α) Docet **justitiam Dei christiano internam** : Rom. I, 17 ; III, 21 sq. ; X, 3 ; II Cor. V, 21 ; Phil. III, 9.

Ita **cum Prat.**, op. cit., **contra Tobac**, op. cit.

β) Justus est **nova creatura** : II Cor. V, 17 (καινὴ κτίσις) ; Gal. VI, 15 ; Ephes. II, 10 (κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ).

γ) Justificatio vocatur **regeneratio** et **renovatio** : Tit. III, 5.

3) *Patres.* Cf. n. 5 sq.

4) *Rat. theol.*

a) Si nos vere possemus dici justi per imputatam justitiam Christi, cur Christus, per imputationem peccatorum nostrorum non posset vere dici peccator et filius diaboli ? Cf. Mazzella n. 903.

b) vide thesim de effectibus formalibus justificationis.

Pars III[a] : Per praesentiam ipsius Spiritus Sancti.

37. — **Praenot.** Inhabitatio Spiritus Sancti in nobis est missio invisibilis Spiritus Sancti. Quid et quotnam sint missiones divinae, vide in tractatu de Deo Trino.

Probamus in hac thesi praesentiam Spiritus Sancti, i. e. ipsum Spiritum Sanctum per seipsum, non tantum per dona sua, esse in anima justi.

De modo hujus praesentiae, vide infra.

Adversarios habemus non tantum Reformatores rejicientes renovationem internam, sed etiam Arianos et Photianos, qui negabant in textibus afferendis agi de Spiritu Sancto. — Sed aliqua praesentia Spiritus Sancti in justo est **doctrina catholica.**

De hac quaestione vide : de Regnon, *Etudes... sur la Ste. Trinité* t. IV p. 501 sq. ; Desjardins S. J. *Rev. Sc. eccl.* t. 16 et 17 ; Froget, O. P. *De l'inhabit. du St. Esprit dans les âmes justes*, p. 35 sq. ; Franzelin, *De Deo Trino* thes. 43 ; Petau, *De Deo Trino* l. 8, c. 4. 5 ; Suarez, *De Deo Trino* l. 12 c. 5 ; Scheeben, *Mysterien des Christentums* p. 141 sq.

Probatur (vide textus citatos n. 12).

38. — 1) *Script.*

Rom. V, 5 ; VIII, 9 ; I Cor. VI, 19 ; II Cor. VI, 16 ; I, 21.

Galat. IV, 6 ; Ephes. I, 13 ; IV, 30.

« Hoc igitur et similes locutiones frequenter in Scriptura repetitae verificari non possunt per solam infusionem gratiae creatae ; ergo oportet fateri aliquo modo magis proprio ipsammet personam divinam mitti. » (Suar., *De Trin.* l. 12, c. 5 n. 8).

N. B. Templum de quo Apostolus, I Cor. III, 10-17, neque est anima justi, neque Ecclesia, sed Evangelium. Cf. Prat, *St. Paul* I p. 132-139. — Contra, S. August. *Epist.* 187 n. 16 M. 33, 837, et alii.

39. — *2) Patres.*

S. Basilius, *Cont. Eunom.* l. 5. M. 29, 769 B ; « Nam orbem terrarum Spiritus Domini replevit, et hoc quod continet omnia scientiam habet Dei. Illucet autem in omnibus, qui digni sunt. Ut enim radii solis faciunt ut nubes illustretur splendeatque, aurei coloris ei inducta specie ; ita quoque **Spiritus Sanctus in cor hominis adveniens, dedit vitam,** dedit immortalitatem, dedit sanctimoniam, erexit jacentem ».

Col. 772 A. B. : « Per hunc quoque (Spiritum Sanctum) etiam quilibet sanctorum Deus est. Dictum est enim a Deo ad ipsos : Ego dixi : dii estis et

filii Excelsi omnes ; et... **necesse est autem eum qui diis causa est ut dii sint, Spiritum divinum esse**, et ex Deo esse. Ut enim quod cremantibus causa est cur crement, id cremans esse necesse est ; et quod sanctis causa est cur sancti sint, id necessario sanctum est : ita et eum qui diis causa est ut dii sint, Deum esse necesse est »...

Col. 725 C. : «... Spiritus autem, ut ait Joannes (I Joan. II, 20), **unguentum** in nobis est. Et quid dixi, in nobis ? Jam enim et in ipso Domino secundum carnem. Jesum a Nazareth, inquit (Act. X, 38), quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute. **Christus igitur est propter Spiritum et propter eam quae in Spiritu fit unctionem. Non igitur per quidquam a Deitate alienum unctio Domini est, aut nomen Christus, aut qui ab ipso Christiani vocantur.** Vere enim deplorandum esset, si etiam salutis nostrae nomen a creatura sumeret originem, et a creatura deduceretur, et si per servum adoptionem haberemus. **Creatura creaturam non sanctificat** (κτίσις οὐχ ἁγιάζεται κτίσιν) : sed ab uno sancto qui de seipso dicit : ego sanctifico meipsum (Joan. VII,19), sanctificantur omnia. **Sanctificat autem per Spiritum** sicut antea demonstratum est. Spiritus ergo creatura non est, sed sanctitatis Dei character, et sanctificationis fons omnibus. Vocati sumus, ut docet Apostolus (II Thessal. II, 12), in Spiritus sanctificatione. Hic nos renovat, ac rursus imagines efficit Dei, atque per lavacrum regenerationis ac Sancti Spiritus innovationem Deo adoptamur. Nova iterum fit creatura tum, cum Spiritus efficitur particeps, quo privata inveteraverat ».

Col. 660 B, l. 3, n. 2 : « Et **sicut ferrum in medio igne positum**, ferrum quidem esse non desinit, sed ob vehementissimam cum igne conjunctionem ignitum factum, omnemque ignis naturam in se ipsum recipiens, tum colore tum efficacia in ignem transit : **sic et sanctae potestates ex communicatione quam habent cum eo qui natura sanctus est**, ejusmodi sanctimoniam habent quae jam pervaserit per totam earum substantiam, in eaque coaluerit. Ipsae autem in eo a sancto Spiritu differunt, quod hujus natura sanctitas est : illis vero ex participatione inest sanctimonia... »

40. — S. Cyrillus Alex., *Thesaurus* M. 75, 584 D sq. : « Beatus Moses creationem hominis et ejus a nihilo ad esse productionem describens, affirmat Deum sumpsisse pulverem e terra, et omnipotente sua virtute formasse eam corporis formam quae oculis cernitur et inspirasse in faciem ejus spiraculum vitae. Hoc vero spiraculum divinum, homini creato datum, non dicimus esse animam (esset enim immutabilis, utpote ex natura divina progressa), sed Spiritus divini participationem, qui humanae naturae initio inditus fuit. Omnis enim perfectio creatis accidit a Spiritu. Hinc et ad imaginem Dei homo creatus dicitur, utpote **per participationem Spiritus ipsi conformis factus**. Caeterum quem Spiritum Moses insufflare Deum homini affirmat, hunc Christus in nobis renovans post resurrectionem a mortuis, inspiravit discipulis suis dicens : « Accipite Spiritum Sanctum » ; **ut reformati ad pristinam imaginem, conformes Creatori natura per**

participationem Spiritus fieremus. Cum igitur Spiritus Sanctus nobis immissus conformes nos Deo efficiat, procedat vero is a Patre et Filio : manifestum est ex divina essentia ipsum esse, essentialiter in ipsa et ex ipsa procedentem ».

Col. 597 B : « **Ipsam enim illam sanctificantem vim** atque virtutem, quae ex Patre naturaliter procedit, et imperfectis perfectionem tribuit, **dicimus esse Spiritum Sanctum.** Supervacaneum enim est, ut apparet, per medium aliquod sanctificari creaturam, cum Dei benignitas non dedignetur ad minutissimas etiam res pervenire, easque per Spiritum Sanctum sanctificare, siquidem ipsius sunt omnes creaturae ».

In Joan. l. II M. 74, 544 C, D : « Nostra vero ad Deum reversio non aliter per Servatorem Christum facta intelligitur, quam **per participationem Spiritus** et sanctificationem. **Spiritus enim est qui nos conjungit, atque, ut ita dicam, unit cum Deo, quo suscepto, participes et consortes naturae divinae reddimur,** eumque suscipimus per Filium, et in Filio Patrem. Scribit ergo nobis sapiens Joannes de ipso : « In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis », (I Joan. IV, 12) Quid porro Paulus ? « Quoniam autem, inquit, estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater » (Gal. IV, 6), **ita ut si nos forsan expertes Spiritus essemus, ne in nobis quidem penitus agnosceretur esse Deus ;** et nisi Spiritu qui nos inter filios Dei collocat ditati essemus, filii Dei omnino non essemus. Quomodo igitur assumpti sumus, aut quomodo naturae divinae consortes redditi sumus, si neque Deus in nobis est, neque nos ei adhaeremus per hoc quod vocati sumus ad participationem Spiritus. Atqui participes et consortes cuncta exsuperantis substantiae, et templa Dei nuncupamur... »

De SS. Trin. Dial. 7 M. 75. 1088 D. – Cf. col. 1090.

Didymus Alex., *Liber de Spiritu Sancto,* vide M. L. 23, 106 sq. ; 111, 113, etc...

S. Athanas., *Ad Serap.* I, 19-24 M. 26, 574-587 (Cf. Cavallera : S. Athanase p. 195 sq.)

41. — *Epistola ad fratres de Monte Dei* (Guidonis de Castro ? 1083-1137) l. 2 c. 3 n. 16 M. 184, 348 sq. : « Super hanc autem alia est adhuc similitudo Dei. Haec est de qua jam aliquanta dicta sunt, in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, **sed unitas Spiritus nominetur ;** cum fit homo unum cum Deo, unus Spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed ex pressiore quadam unitate virtutis (sicut jam dictum est) aliud velle non valendi. Dicitur autem haec unitas Spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, **sed quia ipsa ipse est Spiritus Sanctus** Deus charitas : cum per eum qui est amor Patris et Filii, et unitas, et suavitas, et bonum, et osculum, et amplexus, et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis, et veritate unitatis ; hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali

unitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium ; cum in amplexu et osculo Patris et Filii mediam quodammodo se invenit beata conscientia ; cum modo ineffabili inexcogitabilique fieri meretur homo Dei non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia. Unde in catalogo spiritualium exercitiorum Apostolus prudenter interseruit Spiritum Sanctum, dicens : In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei (II Cor. VI, 6, 7). Vide enim quomodo tanquam omnia facientem, ordinantem, et vivificantem, **in medio bonarum virtutum, sicut cor in medio corporis, constituit Spiritum Sanctum... »**

Vide textus allatos thes. I n. 12.

Cf. et. Pesch II n. 664-666 Froget p. 55 sq.; Terrien I p. 224 sq.

42. — Doctrinam Sancti Thomae Cf. I q. 43 a. 3 sq. ; Cont. Gent. l. 4 c. 21, 22.

Eamdem doctrinam invenies in quibusdam Actis Sanctorum, v. g. sanctae Luciae, « quam cum Paschasius interrogasset : estne in te Spiritus Sanctus ? respondit : Caste et pie viventes templum sunt Spiritus Sancti ».

Cf. Offic. S^ae^ Luciae, 13 Dec., lectio VI^a^.

N. B. Hujus veritatis momentum magnum est in vita spirituali. Cf. Maréchal, *Sur quelques traits distinctifs de la mystique chrétienne*, Revue de philosophie 1912 p. 448 sq.

Pars VI^a^ : Per gratiae sanctificantis infusionem.

43. — Praenot. Probamus in hac parte infundi in justificatione aliquod donum permanens, distinctum a Spiritu Sancto et ab actibus justi. Adversantur, praeter *Reformatores*, *Magister* (Cf. thes. II n. 19) et etiam *Russi Orthodoxi* (Cf Matulewicz, *Doctrina Russorum de statu justitiae originalis*, p. 174 sq., 177 ; De Meester, *Etudes sur la théologie orthodoxe*, 1ère série, p. 91.)

Propositio enuntiat **doctrinam catholicam** (Cf. Hurter, n. 167).

Probatur.

1) *Docum. Eccl.*

Innoc. III Cap. Majores B. 410 (341) ; Concil. Viennense B. 483 (411) ; } inde thesis est tantum probabilior.

Trident. VI cap. 7 B. 800 (682) « *inhaeret* », « *infusa accipit* », can. 11 B. 821 (703) « *inhaereat* » ; Cf. thes. II n. 19.

2) *Script.* « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. » Rom. V, 5. — Textus vix probat ; Cf. Cornely p. 260 s.

« Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. » I Joan. III, 9.

3) *Patres.*

S. Basilius, *De Spiritu Sancto*, n. 38 M. 32, 136.

S. August., *De perfectione justitiae hominis*, n. 43 M. 44, 315 sq.
In Epist. Joan. tr. 5 n. 6 M. 35, 2015.
S. Cyrill. Alex. *In Malach. 3, 3* M. 72, 334 D sq.
Glaphyr. in Exod. l. 3 M. 69, 497 D.
De recta fide Orat. II c. 36 M. 76, 1384 D.
In Joan. l. 10 M. 74, 433 C, D.

4) *Ratione theol.*

Cf. S. Thom. *Cont. Gent.* III c. 150 ; I. II q. 110 a. 2.
S. Bonavent. II Sent. D. 26 a. 1 q. 2.

44. — Scholion 1. — Num Spiritus Sanctus habitaverit etiam in justis Veteris Legis ?

Cf. Petav., *De Trin.* l. 8. c. 7 ; *De Incarnatione* l. 11, c. 7, n. 11 ; Franzelin, *De Deo Trino* thes. 48 ; Kleutgen, *Theol. der Vorzeit*, t. II, p. 375 sq. ; Pesch. *De Deo Trino*, n. 690. ; Froget, *De l'inhab. du St. Esprit dans les âmes justes....* p. 170-183. ; Tobac, *Grâce* D A 329, 330.

Contra Petavium, doctrina communior tenet etiam in justis Veteris Legis Spiritum Sanctum habitasse ; Cf. S. Thom. *I q. 43*, a. 46.

Hoc concedunt etiam Patres quidam ; Cf. v. g. S. August. *De Trin.* l. 4 n. 29, M. 42, 908 ; S. Cyrill. Hieros. *Catech. 17* n. 18, M. 33, 990, (Cf. Catech. 16 n. 25, col. 954).

At, sub triplici saltem respectu inhabitatio pertinet ad Novum Testamentum magis quam ad Vetus (Pesch l. c.)

a) Vetus Test. erat gratiae praefigurativum non collativum, nisi intuitu meritorum Christi.

b) Gratia non tanta largitate dabatur quanta in Novo Testamento.

c) Ante diem Pentecostes Spiritus Sanctus non cum tanto apparatu signorum externorum et miraculorum missus est.

Fatendum tamen est **doctrinam quorumdam Patrum,** S[i] Cyrilli Alexandrini praesertim, **seriam facere difficultatem.** Cf. S. Cyr. Alex. *In Joann. 7, 39* M. 73, 756 sq. Cf. et 752 sq., 760 A, M ; 74, 733 C, D ; *Glaphyr. in Genes.* l. 5 M. 69, 233 ; *Cont. Jul.* l. 3 M. 76, 668 ; *Homil. Pasch.* 13 M. 77, 700 C. D ; *Homil. in Occurs. Domini* M. 77, 1049 A ; *In I Cor. 15, 20* M. 74, 901 C ; *In Is. 1, 1* M. 70, 17 C.

Cf. Mahé RHE. 1909 p. 486 sq.

45. — Schol. 2. — Infunduntur quoque in justificatione **virtutes theologicae et morales.**

Cf. Tractatum de virtutibus.

SECTIO II : IN SPECIE.

ART. I. EFFECTUS NEGATIVUS : REMISSIO PECCATORUM.

Thes. IX. — Gratia sanctificans est remissionis peccatorum causa formalis unica et, in praesenti ordine, necessaria. Expellit vero peccatum non ex sola Dei ordinatione, sed ex natura sua, et quidem essentialiter.

Pesch n. 325-335 ; Hurter n. 172 ; Vasquez I. II D. 203 c. 2 sq. ; III D. 2 c. 6 ; Suarez, *De gratia* l. 7 c. 8-20 ; de Lugo, *De Poenit.* D. 8 s. 3 sq. ; Ripalda, D. ult. sect. 12.

Definitur in hac thesi nexus inter peccatorum remissionem et infusionem gratiae. Quinque autem sunt quaestiones solvendae : inde quinque partes theseos.

46. — 1ª Pars : Peccatorum remissio est effectus formalis gratiae. Cfr. Wirc. 411. — **certum.**

Prob.

1° *Ex Trid.* V, can. 5 B. 792 (674) (originale peccatum) ; VI, cap. 7 B. 799 (681). Justificationis causa formalis est gratia ; a. justificatio continetur etiam remissione peccatorum. Cap. 4 n. 678, justificatio est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae in statum gratiae etc. Unde : in mutationibus terminus a quo excluditur formaliter per terminum ad quem ; atqui terminus ad quem hujus translationis est gratia... e. per gratiam formaliter excluditur peccatum.

2° *Ex Script. et PP.:* iis textibus quibus affirmant gratiam opponi peccato ut lux tenebris (Eph. V, 8 ; 2 Cor. VI, 14), sanitas aegritudini (Aug. *de Sp. et litt.* passim), novitas vetustati (Col. III, 9), mors vitae (Rom. V, 21), sepultura resurrectioni (ibid. VI, 4).

3° *Ratione theol.* — Per gratiam efficimur Dei filii adoptivi, et consequenter Deo addicti, ad eum ordinati, adeoque justi atque amici ; at eadem forma quae producit hos effectus, ipsa quoque mundat a peccato mortali quo homo fit Dei inimicus, reus aeternae poenae etc. Cf. Wirc. 424.

47. — Pars IIª : Gratia est causa formalis unica remissionis peccatorum. — Communis, contra Vasquez, P. et D. Soto, paucosque alios, qui contendunt contritionem esse causam formalem partialem remissionis peccatorum.

Probatur.

1) *Ex Trident.* VI, cap. 6 et 7 B. 798 (680) sq., XIV cap. 4 B. 897 (777).

Dispositio ad formam aut ad effectum formalem nequit esse ejusdem effectus causa formalis ; nam datur inter eas realis dependentia, proinde distinctio ; atqui actus contritionis aut caritatis etiam perfectae (contra

Vasq. 203, cap. 9, n. 88) est dispositio ad justificationem, non solum intra, sed etiam extra sacramentum recipiendam.

Prob. a) Trid.VI,cap. 7, accurate distinguit dispositiones et causam formalem : haec dicitur esse unice gratia ; atqui loquitur de illa quoque justificatione quae fit cum solo voto sacramenti ; nam in cap. 7 agitur de ea justif. de qua cap. 4, 5, 6 ; ibi autem agitur de justif. quae fit tam intra quam extra sacram.

b) XIV, cap. 4, de contritione, prout complectitur etiam perfectam, dicit eam fuisse quovis tempore necessariam ad remissionem peccatorum ; a. tq^{m} dispositio.

c) Ejusdem rationis est justificatio in adultis ac in parvulis ; in parvulis autem fit formaliter per solam gratiam (Trid. V, can. 4 et 5 ; VII, can. 13 ; et datur tamquam de fide a Vasq. 203, cap. 6) ; a. ejusdem effectus formalis nequit esse duplex formalis causa. — Idem ratiocinium fiat de adultis qui justif. in Sacram. cum sola attritione.

d) Ex confessione ipsius Vasquesii 203, cap, 10, n. 127.

48. — 2. *Ex eo quod actus sive contritionis sive caritatis non habet ex natura sua conditiones necessarias ad causandam formaliter translationem a statu... ad statum....*

Nam nec est donum permanenter inhaerens ; nec formaliter unit cum Deo effective, habitualiter, et ipsam personam, sed solum affective, actualiter et inadaequate ; neque constituit hominem amore divino dignum simpliciter et ratione sui. sed solum sec. quid et ratione formae infundendae ; neque convertit ad Deum formaliter per modum status, sed solum per modum actus, etc. Cfr. arg. Vasquesii, 203, cap. 5, n. 43 sq.

3. *Ad arg. ex Scriptura et PP.*, quatenus dicunt hominem justif. per caritatem, respondetur a) retorquendo in Vasq. eos textus quibus dicunt hominem justificari per fidem, b) quaestionem hanc non attingunt : caritatem vel contritionem exhibent tamquam dispositionem (Vasq. l. c. cap. 4).

49. — Pars III^{a} : In praesenti ordine gratia sanctificans est causa formalis necessaria remissionis peccatorum.

Cf. Suarez l. 7 c. 22, 23 ; Pesch n. 330.

Probatur. — Est causa formalis necessaria remissionis peccatorum, si Deus in hac Providentia :

a) vult ut homo habeat eam perfectionem spiritualem, cujus causa formalis est gratia ;

b) hominem hac perfectione privat unice in poenam peccati. Atqui ita est ; ergo....

N. B. — Non negamus hoc argumento dari aliquam distinctionem inter peccatorum remissionem et gratiae infusionem ; quam distinctionem insinuat ipsum Tridentinum VI cap. 7 B. 799 (681).

50. — Pars IV[a] et V[a].

Proenotanda : De oppositione gratiae sanctificantis ad peccatum quatuor sunt sententiae :

1) **Occham, Biel, Scotus** (Cf. Mastrius, *De justif.* q. 1 n. 4 ; q. 2 n. 38) **Medina, Coninck** etc., docent gratiam non ex sua intrinseca natura, sed ex sola ordinatione divina peccatum expellere. — Cf. Seeberg, *Die Theol. des Joh. D. Scotus* p. 326-328.

2) **Lessius** (*De div. perfect.*, l. 12 c. 11 n. 75 sq. ; l. 13 c. 27 n. 195), admittit oppositionem ex intrinseca natura gratiae, sed tantum moralem, fundatam in quadam indecentia. — Cf. Ripalda l.c. s. 14-16 ; Suarez c. 12 sq.

3) **Suarez** (l. 7 c. 20) et alii non pauci, tuentur gratiam, in nostro ordine, opponi ex natura sua et physice peccato, non vero essentialiter. Hinc, etiam in hac sententia, per miraculum, **peccatum grave et gratia sanctificans possent coexistere in eadem anima.**

4) **Vasquez** (I-II D. 204), **Platel** II. n. 402, **Schiffini** n. 178 et alii, docent oppositionem absolutam metaphysicam (sicut inter lucem et tenebras, vitam et mortem). « *Quae sententia videtur praeferenda.* », Hurter n. 172. Illam probamus parte IV[a] et V[a].

51. — Probatur pars IV[a], contra Nominales et Scotum : **Gratia sanctificans ex natura sua, non ex sola Dei ordinatione, expellit peccatum.**

1) Ita **communior sententia**, cum S. Thoma I-II q. 111 a. 2 c. et ad 1 : gratia, quatenus animam sanat, i. e. a peccato liberat, est operans non effective sed formaliter ; q. 109 a. 7 : macula peccati excluditur per decorem gratiae formaliter ; q. 113, a. 2 : remissio non fit sine infusione gratiae ; a. 6 ad. 2, a. 7 et 8 : constanter supponit peccatum expelli per gratiam ut per formam contrariam.

2) *Script.* vide textus qui indicantur in I[a] parte.

3) *Ex Trid.* VI cap. 7 B. 799 (681) gratia justificat, proinde excludit peccatum, in ratione causae formalis ; e. natura sua et per se opponitur peccato. Cfr. Suar. VII, cap. 12 n. 8 : ex Trid. doctrina negari non posse hanc sententiam sine temeritate. Pariter Vasquez, 204, cap. 2, n. 10.

Revera a) si praeter gratiam requiritur favor et acceptatio Dei ut simus vere justi, non essemus vere justi et sancti per donum nobis inhaerens ; nec unica esset, sed duplex causa formalis proprie dicta justificationis nostrae ; imo favor externus esset reapse sola causa formalis nostrae justitiae : nam deficiente acceptatione non justificat gratia inhaerens ; e. neque accedente eadem : nihil enim mutat in ipsa re. Atqui haec videntur aegerrime componi dum doctrina Concilii.

Vide apud Pesch, n. 334, argumentum adversariorum.

52. Pars. V[a], contra Suarez, **Oppositio est essentialis et metaphysica. Probatur.**

1. Privatio essentialiter removetur per oppositam perfectionem ; atqui

peccatum habituale est, *in hoc ordine*, privatio gratiae sanctificantis, cum habitudine ad peccatum actuale praeteritum ; — et universim, etsi peccatum formalissime non est *privatio* gratiae, est tamen absoluta necessitate *negatio* gratiae ; ergo collatione gratiae necessario et essentialiter tollitur peccatum.

2. Ideo, infusa gratia, maneret peccatum, quia Deus contra naturam rerum illud conservaret ; a. id implicat ; e.

Ad maj. : permanentia peccati simul cum gratia esset quid miraculosum ; quale v. g. permanentia frigiditatis simul cum calore ; e. revocari debet in Deum ut in causam.

Dicit Suarez : refunderetur in Deum, sed tantum ut permissive se habentem. — *Resp.* Permissio peccati habitualis esset tantum per non-infusionem formae ex natura sua destructivae peccati. Nam peccatum habituale non est quid positivum quod conservetur in esse per influxum Dei positivum et destruatur hujus influxus cessatione.

3. Gratia sanctif., ex se, quatenus participatio divinae naturae, facit justum, sanctum, rectum, etc. ; peccatum ex essentiali sua ratione facit iniquum, immundum, aversum, etc. ; a. haec nequeunt nec de potentia absoluta simul consistere, e.

53. — Praecipua ratio pro sententia adversa est quod peccatum habituale non includit per se et in suo formali conceptu privationem gratiae sanctificantis. Per se et formaliter dicit moralem relationem ad actuale peccatum commissum, non retractatum ; privatio vero gratiae se habet ut materiale. Unde manet in peccatore condignitas odii et poenae ex parte Dei. Atqui gratia, si peccatori infunditur, tollit quidem maculam, non vero per se et formaliter condignitatem odii et poenae. Haec non potest tolli nisi condonatione divina, quam gratia postulat quidem ex propria natura et dignitate, non tamen ita ut Deum necessitet, quum sit bonitatis tantum finitae. Potest igitur, de potentia saltem absoluta, non agere secundum exigentiam naturalem formae.

Confirmatur quia, licet inimpedibilis sit alicujus formae effectus primarius, non tamen effectus secundarius ; v. g. Christus non efficitur per gratiam filius adoptivus, quia obstat unio hypostatica. Ergo a pari nec peccator fit inimpedibiliter Deo gratus per gratiam, quia obstat condignitas odii ex peccato relicta, quam liberum est Deo non condonare.

Resp. a) In praesenti ordine peccatum habituale *probabilius* consistit formaliter in gratiae sanctif. privatione prout per praeteritum peccatum actuale inductae. Hinc nequit infundi gratia quin per ipsam formaliter tollatur peccatum. Ratio vero offensae quae peccato inest, tollitur dispositive per voluntatis peccatricis retractationem et conversionem ad Deum ; formaliter per ipsam actionem justificativam Dei quae nequit non esse simul et eadem condonativa ; ipsa vero gratia, sicut se habet ad peccati deletionem formaliter, ita ad offensae destructionem terminative, quatenus est forma

inconjungilibis cum peccato et terminus actionis inconjungibilis cum offensa.

b) Negamus peccatum qua tale destrui per gratiam meritorie.

Ex his facile solves rationem pro confirm. allatam.

54. — Corollarium. — Ergo in nullo instanti reali coexistit gratia habitualis cum peccato mortali. — Cf. Wirc. n. 412 ; et attende ad damn. Baii 43^am^ B. 1043 (923).

Cf. Le Bachelet, art. *Baïus* DTC col. 103. — Ripalda l. c. s. 13.

55. — Schol. 1. — Utrum in alio ordine peccatum possit remitti sine gratiae infusione ?

Ripalda D. ult. s. 21, 21 ; Suarez, l. 7, c. 22 n. 6, c. 23 n. 2.

1) Negant non pauci : Cajetanus, Conradus, uterque Soto, Valentia (t. III. D. 8 q. 5 p. 5 dub. ult.), Vasquez (I. II. D. 206 et 207 c. 1).

2) Sed affirmandum est **cum sententia communiori** « nam evidens videtur, Deum, in statu naturae purae, posse condonare peccata, quin hominem ad statum supernaturalem elevet » (Hurter n. 172).

56. — Schol. 2. — Quomodo remittitur peccatum veniale ?

Cf. Hurter n. 174 ; Suarez, l. 7 c. 24.

Quaestio haec pertinet praesertim ad tractatum de poenitentia. Hic pauca de relatione inter gratiam sanctificantem et peccatum veniale.

1) Gratia sanctificans, **probabilius**, non tollit formaliter peccatum veniale, quia pecc. veniale non est privatio gratiae sanctificantis.

2) Tamen gratia sanctificans requiritur ut conditio ; quia non remittitur peccatum veniale, si mortale adest, nisi cum mortali.

3) Remissio peccati venialis semper habet conjunctam sive gratiae sanctificantis infusionem (si remittitur cum mortali), sive gratiae sanctificantis augmentum, quando remittitur peccatum veniale justi.

Art. II. Effectus positivus : Deificatio.

§ 1. — *Deificationis factum.*

Thes. X. — Per gratiam justificantem vere efficimur consortes divinae naturae, Dei amici, filiique adoptivi.

57. — St. Q. 1) In hac thesi agimus dogmatice de effectibus formalibus gratiae justificantis, **abstrahentes ab omni quaestione controversa inter catholicos.** Ergo non inquirimus nunc quaenam sit renovationis internae causa formalis, neque utrum consortium divinae naturae sit formale an virtuale, analogum an univocum, etc. Utilius hae quaestiones examinabuntur infra.

« Per gratiam justificantem », non dicimus nunc quaenam sit: creata,an increata, an utraque simul. Cf. thes. 12.

2) Gratia, unione sui cum anima,ei tribuit perfectiones de quibus in thesi et quae vocantur ejus **effectus formales.**

Definitur effectus formalis : realitas quam causa formalis tribuit materiali per intrinsecam sui communicationem ; v. g. calor dat corpori quod sit calidum. — Effectus formalis **primarius** est qui sequitur necessario et per se ad unionem formae cum materia ;
secundarius, qui sequitur per se ad effectum primarium.

Justificationis effectus formalis adaequatus unicus est ; tamen multiplex distingui potest ob varios terminos ad quos dicit ordinem. Cf. Ripalda, De Ente supernat. D. ult. s. 5 n. 77.

Effectus primarius videtur esse consortium divinae naturae.

Thesis est de fide.

58. — Pars I[a] : Consortes divinae naturae.

Cf. Pesch V n. 338-348 ; Wirceb. n. 407 ; Hurter n. 193, 194 ; Terrien I p. 86-102.

Probatur factum.

1) *Script.*

a) Textus omnes quibus dicimur per gratiam **renasci, regenerari :** Joan. III, 5 ; I Joan. III, 9 ; Tit. III, 5 ; **filii Dei fieri** : Joan. I, 12 sq. ; I Joan. III, 2 ; Rom. VIII, 15, 16.

Omnis enim generatio consistit in communicatione naturae.

b) **II Petr. I, 4.** « Per quam maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per haec efficiamini divinae consortes naturae : fugientes ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem. »

Cf. Corluy, *Spicil.* II, p. 319-324 ; Tobac *Grâce* DA, 339 ; Cornelius a Lapide, ed. Crampon, t. XX, p. 413, 414 ; Jovene, p. 273-282.

Qui textus affirmat verum consortium divinae naturae, obtinendum non tantum in visione beatifica (Cf. Tobac l. c.) sed **probabilius** jam nunc (saltem ex interpretatione Patrum et theologorum.) Cf. I Joan. III, 2. — Vide comment. Cajetani.

2) *Patres,* vide thes. I n. 9.

59. — 3) *Liturgia.*

In Missa « Deus qui humanae substantiae.... da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps. » — *Secret. Dom. IV post Pascha :* « Deus, qui nos per hujus sacramenti veneranda commercia unius summae divinitatis participes effecisti... ». — *Praef. Ascens.* « ... et ipsis cernentibus est elevatus in caelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. »

4) Damnatio Baii prop. 21, B. 1021 (901) ; 42, B. 1042 (922). Cf. Le Bachelet *Baïus* DTC. 100 sq.

60. — Pars II[a] : Amici Dei.

Cf. Hurter n. 157-177 ; Mazzella, *De Virt.* n. 1298 sq., Suarez, *De caritate*, D. 3, s. 2.

Praenot. Amicitia est amor benevolentiae mutuus, non latens. Cf. S. Franç. de Sales, *Traité de l'Am. de Dieu* l. 1 ch. 13. S. Thom. II. II q. 23 a. 1.

Supponit aequalitatem aliquam : « Amicitia pares aut invenit aut facit. » Cf. S. Thom. *III Sent.* D. 27 q. 1 a. 1.

Probatur.

1) *Trident.* VI cap. 7 B. 799 (681) In justificatione « homo ex injusto fit justus et *ex inimico amicus.* » Cap. 10, B. 803 (685) « Sic ergo justificati et *amici Dei* ac domestici facti. »

2) *Script.* Luc. XII, 4 ; Joan. XV, 13-16.

3) *Ratione.* Commercium inter Deum et justum habet omnes characteres verae amicitiae :

a) est *amor benevolentiae mutuus :*

α) Dei erga justos : maxima et pretiosa nobis dona donavit ; majorem caritatem nemo habet...

β) Justi erga Deum : adest charitas saltem initialis : potius mori quam peccare mortaliter.

b) *non latens.*

α) Amor Dei erga justos saepissime affirmatur in Scriptura et manifestatur per gratias internas et externas.

N. B. De statu justitiae aliquam certitudinem habere possumus.

β. Amor justi erga Deum : Deus intuetur cor. — Saltem quandoque actus caritatis elici debet.

c) *fundatus in aequalitate :* Verbum caro factum est. — Divinae consortes naturae.

61. — Pars III[a] : Filii adoptivi.

Cf. Pesch n. 347-349 ; Terrien l. 1 ; Frojet, p. 218 sq.

Praenot. Filiatio adoptiva est personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio. — Cf. S. Thom. III p. 23 a. 1.

Includit ergo tria :

1) ut adoptatus sit extraneus ;

2) benevolentiam gratuitam adoptantis (causa efficiens) ;

3) mutuam adoptati et adoptantis relationem : adoptatus jura habet filiorum, adoptans debitum (saltem improprie dictum) solvendi.

Praecellit autem adoptio divina adoptioni humanae,

a) *gratuitate et liberalitate :* homines adoptant quia filius naturalis, vel deficit, vel est indignus patre ; Deus autem pura caritate, et praeterea, ipsum Filium unigenitum libenter consentientem tradendo, ut servos rebelles faceret filios. Cf. S. Aug. *De Civit. Dei* l. 21 c. 15 M. 41, 729.

b) *Efficacitate :* homo adoptans praesupponit similitudinem naturae et idoneitatem : Deus adoptando illam operatur ;

c) *hereditatis acquisitione et possessione :* quae est non per successionem, moriente patre, sed per communicationem et quidem non bonorum externorum sed ipsius Dei. Cf. Terrien l. c. ch. 3.

Probatur.

1) *Trident.* VI cap. 4 B. 796 (678).

2) *Script.* I Joan. III, 3 ; Galat. IV, 4-7 ; Rom. VIII, 14-17, etc.

3) *Patres.* Cf. thes. I n. 9.

62. — Coroll. « Si autem filii et **heredes** : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. » Rom. VIII, 17. Cf. Galat. IV, 7.

Quodnam sit jus filiorum in gloriam. Cf. Ripalda D. 132 s. 10 n. 131 sq.

63. — Schol. Quaenam sit distinctio inter justificationis effectum negativum et positivum.

Cf. Suarez, l. 7 c. 11.

1) Certum est hos effectus *saltem ratione* distingui.

2) *Distinctionem realem negant* Richardus (IV D. 17 a. 4 q. 4), Vasquez (I. II D. 204).

3) Suarez tenet :

a) Inter remissionem peccati et effectum positivum *adest distinctio realis* modo quo adest inter formam positivam et ejus privationem.

b) « Infusio justitiae *infallibiliter ac necessario* habet conjunctam remissionem peccati, et ita justificatio dicitur esse remissio peccati, vel quia illam includit, vel quia ad illam consequitur, sicut generatio unius dicitur corruptio alterius », n. 17.

Quaenam sit haec *necessitas,* Cf. thes. IX n. 49 sq.

§ 2. — *Facti explicatio.*

Thes. XI. — Eatenus autem divinae sumus consortes naturae, quatenus physice et formaliter naturam divinam participamus prout intellectualis est in supremo gradu.

Jovene, p. 255 sq. ; 363-488 ; Ripalda, D. 132, s. 7-9 ; Van Noort, n. 143-147 ; Pesch, V. n. 338-349 ; Hurter n. 194. ; Jungmann, n. 257 sq. ; Frojet p. 198-214 ; Terrien I. p. 86 sq. ; Suarez, *De Gratia*, l. 7, n. 24 sq. ; Weigl, *Cyrill von Alex.* p. 194 sq. ; Pohle II, p. 524-527.

64. — St. Q. Explicare conamur in hac thesi in quonam consistat consortium divinae naturae, quoad factum in thesi X[a] probatum.

Explicantur termini.

I. Modus et ratio participationis.

1) « Participare nihil aliud est quam imitari atque exprimere perfectionem rei superioris non adaequate sed quoad aliquam rationem partialem ; ubi enim unum extremum aliud exaequat, ubi non participatio sed aequalitas, adaequatio et identitas reperitur. » (Salmant. *De Gratia*, D. 4, dub. 3, n. 36).

Participatio igitur naturae divinae est « *quaedam assimilatio supernaturalis animae ad Deum, qua perfectionem divinam sub aliquo respectu imitamur.* » (Van Noort, n. 144) « *Gratia... est quaedam similitudo divinitatis participata in homine.* » (S. Thom. III q. 2 a. 10 ad 1).

65. — 2) Jam vero **multiplex naturae divinae participatio** distinguitur :

a) **communis**, qua omne ens, qua tale, participat esse divinum. Cf. Jungmann n. 248.

b) **supernaturalis**, quae est :

vel moralis : imitatio quaedam morum, i. e. sanctitatis divinae, per actus hominis liberos.

vel physica : antecedenter ad omnem liberam operationem homo ipsum esse physicum Dei participat.

c) **participatio supernaturalis physica**, est :

vel substantialis : participatio naturae divinae per identitatem. Hoc modo tres personae Trinitatis divinam substantiam participant.

vel accidentalis : aliquid divinitatis communicatur creaturae in suo esse jam constitutae.

d) **haec participatio accidentalis**, est :

vel formalis : est convenientia in eadem forma, seu perfectione, secundum eamdem rationem secundum quam sunt in Deo, etsi non secundum eumdem modum. Sic eadem forma, secundum eamdem rationem, habetur in exemplari et in imagine, in exemplari per se, in imagine per participationem.

vel virtualis : habetur cum perfectio secundum diversam et nobiliorem rationem invenitur in exemplari quam in imagine.— (Cf. Jovene p. 242, 243 ; Suarez, l. 7 c. 1 n. 28).

66. — 3) **Sententiae.**

Duae sunt sententiae haereticae et plures catholicae :

A. **Sent. haereticae :**

a) **Protestantes**, negant omnem deificationem internam.

b) **Pantheistae** : una tantum existit vera realitas, Deus ; et quidquid est, Deus est.

α) Vide propos. 10^am^ **Eckardi,** (1260 ?-1327 ?).

De ejus doctrina Cf. Denifle : *Meister Eckcharts lateinische Schriften*, Archiv für Litteratur und Kirchengesch... t. II., vide textus citatos p. 492-500 ; Henri Delacroix : *Essai sur le mysticisme spéculatif en Allemagne au XIVe siècle*, p. 135 sq.— Controversiam sufficienter exponit Vernet, *Eckart*, DTC 2065 sq.

Si thesis Schmidt (*Essai sur les mystiques du XIVe siècle*, Strasbourg 1836, p. 53 sq.) fuit durior, a Pantheismo tamen Eckart excusari non potest.

β) **Molinos**, prop. 5 B. 1225 (1092).

Cf. Paquier, *Le Quiétisme*, Rev.Cl. Fr. 1909, t. 59 p. 257-301 ; Terzago, *Theologia Historico-mystica*, p. 74 sq. ; Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*, t. II, p. 101, 392 (n. 267).

B. **Sent. Catholicae :**

a) **Nominales** : justitia interna non ex seipsa, sed ex mera acceptatione Dei justificat et deificat. « *Secundo ostendo quod quacumque forma mere supernaturali formaliter inhaerente posita in anima, adhuc est in potentia Dei absoluta acceptare illam animam vel non acceptare. Et loquor de acceptatione qua aliquis acceptatur et praeparatur ad vitam aeternam.* » Ockam, *I Sent.* D. 17 q. 1.— Ita et Gabriel, Ariminensis, Durandus, ibid.; Scotus *IV Sent.* D. 16 q. 2 n. 4 sq. (ed. Lugdun. 1639 ; Cf. n. 34 sq.)

Cf. Suarez, *De Gratia*, l. 7 c. 1 n. 6 sq. ; Terrien, I p. 236 ; Minges, *Die Gnadenlehre des Duns Scotus*, 5. Thesis ; Seeberg, *Die Theol. des Joh. D. Scotus* p. 333 et alibi.

b) **Cajetanus** admittit participationem physicam in gloria, non vero in via. *In II Petr. I. 4.*

c) **Communior** est sententia nostra : participatio divinae naturae est physica et formalis.Quaenam vero sit hujus participationis forma,disputatur etiam ab auctoribus qui hanc communiorem sententiam admittunt ; vide thes. XII.

67. — II) Quid participetur ?

1) Non aseitas vel infinitas. Contra Gonet, *Clyp. thom.* t. IV D. 2 § 10.

2) Neque natura divina ut est independens.

3) Neque tantum ut est ipsa Bonitas moralis « ratione cujus natura divina prona et potens est ad omnes et solas operationes morales bonas, et repugnans moraliter malis. » Ita Ripalda, D. 132 s. 9 n. 105.

4) Sed **dicendum videtur cum Suarez** l. 7 c. 1 n. 27-30 : participatur natura divina ut est supreme intellectualis, seu **ut est radix visionis qua Deus seipsum in seipso videt** et amoris quo seipsum ita visum amat et omnia in se. Cf. S. Thom. I q. 93 a. 4.

Hinc, per gratiam ad eum gradum essendi elevamur cui aliquo modo connaturalis est visio Dei.

Vide quae in tractatu De Deo et De Ente Supernaturali dicuntur de supernaturalitate Visionis intuitivae.

Thesis quoad utramque partem est **communior.**

Probatur.

68. — Pars. I^{a} : Participatio physica et formalis.

1) In Scriptura et Traditone justi dicuntur *nasci ex Deo, regenerari,* etc.; atqui consortium morale vim istarum locutionum non verificat.

2) Per gratiam sanctificantem elevamur ad *ordinem stricte supernaturalem ;* atqui ordo supernaturalis est participatio physica et formalis alicujus quod est ordinis proprie divini. — Participatio virtualis est propria ordini naturali.

3) Vide doctrinam Patrum n. 9.

4) Videre Deum intuitive est participare Deum formaliter, i.e. est cogno-

scere Deum sicut ipse Deus se cognoscit ; atqui ejusdem ordinis sunt gratia et visio ; ergo...

Cf. I Joan. III, 2 ; I Cor. XIII, 12.

69. — Pars. IIa : Naturae divinae ut intellectualis est in supremo gradu.

1) Identitas gratiae et gloriae. Cf. argument. praecedens.
2) Finis gratiae est gloria.
3) Exclusione aliarum sententiarum.

70. — Schol. Utrum participatio formalis naturae divinae per gratiam sit analoga an univoca ?

Quaestio valde difficilis ; nam ex una parte difficilius intelligitur **participatio formalis** attributi proprie divini **quae non sit univoca**, ex altera vero non minor difficultas est in admittenda **participatione univoca perfectionis divinae.**

P. Jovene, p. 470 sq. audacter sustinet univocitatem : « impossibile est similitudinem Dei vere formalem tribuere gratiae et univocam denegare, sine aperta contradictione. »

Pro eadem sententia citantur Ledesma et de Lugo.

Communius tamen negatur possibilitas participationis univocae cujuscumque perfectionis divinae.

Certo certius admitti debet participatio formalis inadaequata (quam et Jovene propugnat, p. 471) : etenim quod in Deo substantiale est, in anima renata est tantum accidentale. Quae inadaequatio forsan sufficit ut participatio jam non sit univoca.

Potest tamen esse formalis, i. e. convenire in eadem forma secundum eamdem rationem, **si perfectio etiam analoga praedicatur secundum eamdem comprehensionem** et de Deo et de homine justo.

§ 3. — *Deificationis causa formalis.*

Thes. XII. — Justificationis « unica causa formalis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. »... « signans et ungens nos Spiritu promissionis Sancto », et diffundens in cordibus nostris inhaerentem gratiam et caritatem (Trident. VI, cap. 7. can. 11). **Hinc, sicut duplici elemento constat justitia nostra interna, ita duplex ejusdem justitiae causa formalis agnosci potest, imo debet, ut ratio habeatur doctrinae Scripturae et Patrum, Graecorum praesertim : una proprie dicta, inhaerens et informans, gratia scilicet creata ; altera late dicta, adhaerens et transformans, ipse scilicet Spiritus Sanctus, intima sui ipsius unitione et entitativa adhaesione animas renatas perficiens.**

71. — Petavius, *De Trinit.* l. 8, c. 4, 5 ; *De Incarn.* l. 11, c. 7 ; Thomassin, *De Incarn.* l. 6 c. 11 sq. Lessius, *De perfectionibus div.* l. 12 c. 11. (cum Appendice) ; *De Summo Bono*

l. 2 c. 1 ; Suarez, l. 7 c. 1 sq. ; Bellarmin, *De Justificatione* l. 2 c. 2 ; Ripalda, D. ult. s. 8-11 ; Cornelius a Lapide, *In II Petr. I, 4* ; Viva, *De Gratia*, D. 4 q. 3 ; Schrader, *De triplici ordine*, passim. ; Jovene : *De Vita deiformi*, p. 557-614 ; Scheeben, *Dogmatik* II § 149 ; *Mysterien* p. 153 sq. ; Granderath, *Zeitschrift für Kath. Theol.* 1881-1884 ; *Katholik*, 1883, 1884 (Controversia cum Scheeben) ; Kleutgen, *Theol.* t. II p. 395 sq. (Cf. 726-729) ; Franzelin, *De Deo Trino*, thes. 43 ; Ramière, *Messager du S. Cœur* 1865 (t. 8) ; *Les Espérances de l'Eglise*, p. 600-615 et appendix p. 742-748 ; de Régnon, *La Sainte Trinité* t. IV, p. 303 sq. 471 sq., 568 sq. ; Mahé, R. H. E. 1909 p. 474 sq., 480 sq. ; Frojet, l. c. chap. 3 p. 67 sq. ; Weigl, p. 196-201, p. 239 sq. ; Hurter, n. 190, 194 ; Pesch. II, n. 676-684 ; V n. 349-351 ; de la Reguera, *Praxis theol. Myst.* t. I. l. 1. q. 6.

St. Q. 1) Solemnis est inter theologos controversia de causa formali justificationis. — Ut est remissio peccatorum, ejus causam formalem jam indicavimus thesi IX[a] ; **nunc inquirendum est de forma justificationis ut est deificatio et adoptio filiorum.**

2) Duae sunt sententiae :

a) Sententia communior, quae simplicior est et clarior, sed negligere videtur certam doctrinam Patrum : unica causa formalis est gratia creata.

b) Sententia altera docet :

Duplex est causa formalis : alia stricte dicta, gratia creata ; alia late dicta, gratia increata, ipse Spiritus Sanctus. Hanc sententiam propugnant, concordes in essentialibus : Petavius, Lessius, Thomassinus, Cornelius a Lapide, Schrader, Scheeben, Jovene, Baudier, Ramière, de Régnon, Hurter, Pesch, et alii. — Quam sententiam et nos ut **probabiliorem** defendimus, quamvis Ripalda (D. 132, q. 10, n. 127) inconsiderate omnino et temere dixerit illam accedere « proxime sententiae haereticorum asserentium nos justificari per formam extrinsecam ». (De qua censura Cf. Pesch. II n. 678 ; Franzelin, *De Deo Trino*, p. 636 in nota ; Kleutgen, *Theol.* II, p. 726 sq.) Quasi, affirmando formam internam duplicem, ipsam formam internam negares !

3) Attendas ad theseos positionem. Innixi doctrinae Tridentini, qua praecipuum adversariorum argumentum refellamus, tenemus thesim nostram admitti posse, salva doctrina Tridentini, imo ipso Tridentino illam insinuante. Quae assertio probata manet ex thesi II[a]. n. 19.

72. — 4) Explicatur quid sit **forma proprie dicta, quid forma late dicta.** (Vide Jovene p. 561-570 ; Pesch. II, n. 681-684 ; Petav. *De Trin.* l. 8 c. 5 n. 12).

a) **Forma universim** definitur : quod perficit aliud.

« Itaque quatenus Spiritus Sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem... formae (εἴδους) rationem obtinet... » (S. Basilius, *De Spiritu Sancto* c. 26 M. 32, 180 C.)

« Omne completorium alicujus est sicut forma ejus » (S. Thom. IV D. 3 q. 1 a. 1). Forma igitur concipi debet velut elementum perficiens relate ad aliud elementum perfectibile quod materia vocatur.

b) **Aliae pressiores definitiones** formae adsunt : « Id quod determinat aliud », vel « quod dat esse rei ». Sed duplici et longe diverso modo **esse dari potest :**

α) **Per communicationem propriae entitatis** alteri factam, ipsumque constituens in tali specie entium. Ita anima humana est forma corporis, seu materiae primae, in homine.

β) **Per productionem novae entitatis** a propria entitate saltem realiter et numerice distinctae. Hoc modo et causae efficientes dicuntur formae, et quidem **extrinsecae**, dum formae stricte informantes dicuntur **intrinsecae**.

Rursus et causae exemplaris et finalis determinant esse rei ; ideoque et ipsae formae dicuntur.

Porro formae intrinsecae dicuntur **informantes seu inhaerentes :** causant per inhaerentiam ; formae vero extrinsecae causant per imitationem. (S. Thomas, *De veritate* III, 3). Cf. S. August. *Lib. 83 Quaest.* q. 46 M. 40, 30. ; — S. Bonavent. I D. 35 a. 2 ad 1um.

Si formae extrinsecae agunt per modum efficientiae, vocantur formae assistentes ; si tantum continent rationem archetypam, vocantur exemplares.

Haec de formis **principiative** inspectis. — Si **terminative** spectentur, adsunt aliae distinctiones. Sic v. g. forma informans est vel substantialis, vel accidentalis.

73. — c) **Forma adhaerens** illa est quae non per seipsam constituit in esse sive substantiali sive accidentali elementum perfectibile et indeterminatum subjecti cui adhaeret, sed illud nihilominus intrinsece afficit. Effectus immediatus hujus formae est **unitio**, non unio (neque substantialis, neque accidentalis). Unio enim supponit unitatem, dum unitio supponit tantum conjunctionem. Cf Petav. *De Deo Trino* l. 8 c. 8 n. 6 sq.

Philosophice hoc differunt unio et unitio, quod, cum unio sive substantialis, sive accidentalis, conspiret ad ontologicam unitatem constituendam, jam elementorum esse unum fit. Ita unum est esse animae et corporis in homine, unum esse animae et scientiae in philosopho. Unitio autem, cum non tendat ad ontologicam unitatem perficiendam, elementorum esse non est unum sed multiplex, post sicut ante unitionem.

Tales formas extrinsecas, adhaerentes, quoad rem theologi scholastici omnes agnoscunt. Vide quaestionem celeberrimam : Utrum caritas sit forma virtutum ? Cf. S. Thom. II. II. q. 4 a. 3 ; q. 23 a. 8 ; *de Verit.* 14 a. 5 ad 1, 3, 4, 8, 9. — Caritas dicitur a S. Thoma forma « **perficiens et non constitutiva** », quae est ipsa definitio formae adhaerentis. Forma igitur adhaerens non est forma mere extrinseca et assistens, quia entitative a subjecto adhaesionis non est separata, sed illi conjungitur unitione, non tantum praesentia. Neque est forma informans et inhaerens, siquidem esse suum non dat subjecto adhaesionis neque unum cum illo constituit.

Sensu definito et formae efficientes et formae exemplares possunt esse formae adhaerentes. Quoad causas exemplares, exemplum apud Patres tritum est in **sigillo cerae impresso,** quod est forma exemplaris sed per

veram adhaesionem determinans ceram ad expressionem proprii characteris. Hujusmodi enim forma exemplaris est adhaerens exemplato (cerae nempe) et per ipsam adhaesionem causat, dum forma exemplaris non adhaerens (puta exemplar domus in mente architecti) non causat per adhaesionem. — Quod si materia, cui sigillum imprimitur, esset non modo liquescens ac mollis, sed prorsus fluida ac liquata, v. g. aqua, tunc requireretur **sigilli adhaesio continua.** » « L'âme est comme une eau qui ne garde la figure imprimée qu'autant que le cachet demeure en elle comme une sorte de vertu informante ». (de Régnon IV p. 484).

Exemplum aliud habes in instrumento unito relate ad causam principalem.

Forma adhaerens vocatur **transformans**, quatenus, licet esse rei cui accedit non constituat, tamen illud perficit, et intrinsecus afficit.

Vide quomodo Franzelin cum Lessio (*De perf. div.* XV c. 5) explicet communicationem formalem Divinitatis in Visione beatifica. Cf. Franzelin *De Deo Uno* p. 341 ; Pesch II, n. 683, 684.

Juxta hanc explicationem igitur, quam putamus magis ad doctrinam Patrum accedere,Spiritus Sanctus eatenus est justificationis forma, quatenus est ejus causa exemplaris **adhaerens**, et in hoc ejus actio distinguitur ab actione Patris et Filii, qui et ipsi sunt justificationis causae exemplares, sed non adhaerentes. Cf. n. 112, 113.

In argumentis vero mox afferendis ne quaeras tam distinctam unitionis Spiritus Sancti cum anima justi affirmationem. Probant utique argumenta, **Spiritum Sanctum esse aliquo modo formam animae renatae,** ideoque sententiam magis communem a clara Patrum doctrina nimis recedere. Cujusmodi autem sit haec informatio nos, Patrem Jovene praesertim secuti, in Statu quaestionis conati sumus explicare, quin explicationi nostrae sive diserta traditionis testimonia sive plus quam intrinsecam quamdam probabilitatem vindicemus.—Manet missionis invisibilis Spiritus Sancti mysterium.

Probatur.

74. — 1) *Scriptura.*

a) Ephes. I, 13, 14 « .. *in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae..* » et IV, 30 « *Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis.* »

Vide in utrumque textum Didymum Alex. *(De Spiritu Sancto* n. 5, M. L. 23, 108) « Si enim signantur quidam Spiritu Sancto, **formam et speciem ejus assumentes :** ex his est Spiritus Sanctus quae habentur et non habentibus illum signaculo ejus impressis... Quomodo enim disciplinae, et virtutis assumptor, signaculum et figuram (ut ita dicam) in suum sensum recipit ejus scientiae, quam assumpsit : sic et is, qui Spiritus Sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter et sanctus. »

S. Hieron. *In Ephes.* IV, 30 M. 26, 514 B « Signati autem sumus Spiritu Dei Sancto, ut et Spiritus noster et anima **imprimantur signaculo Dei,**

et illam recipiamus imaginem et similitudinem ad quam exordio conditi sumus. » Cf. S. Athanas. *Ad Serap.* n. 23 M. 26, 585 A.

S. Cyrill. Alex. *Thesaur.* M. 75, 609 D. citat Ephes. I, 13. 14 et pergit : « Si Spiritu Sancto signati ad Deum reformamur, quomodo erit creatum id per quod divinae essentiae imago et increatae naturae signa nobis imprimuntur ? Neque enim Spiritus Sanctus pictoris instar in nobis divinam essentiam depingit, aliud quidpiam ab illa exsistens : neque hoc modo nos ad similitudinem Dei ducit : sed, cum ipse sit Deus et ex Deo procedat, in cordibus eorum qui ipsum suscipiunt **velut cera invisibiliter instar sigilli imprimitur** : et naturam nostram per communicationem similitudinemque sui ad archetypi pulchritudinem depingit Deique imaginem homini restituit. Quomodo igitur erit creatura is per quem natura humana ad Dei imaginem reformatur, utpote Dei particeps facta ? »

b) Doctrinam Pauli ita profert P. Prat (I p. 419, 420) ; « Le Saint Esprit n'agit point en nous comme s'il était hors de nous ; il se mêle si intimement à notre activité intérieure que notre action est la sienne et la sienne est la nôtre. Ainsi nous vivons par lui, nous sommes mus par lui. (Rom. XII, 11 ; Gal. V, 16, 18, 25 ; Rom. IX, 14). C'est lui en effet qui faisant monter de notre cœur à nos lèvres le nom de « Père » témoigne que nous sommes les enfants de Dieu. **Comme la forme spécifie l'être, la présence en nous de l'Esprit vivificateur nous confère notre dignité surnaturelle, la filiation adoptive.** (Rom. VIII, 14-17.) L'Esprit-Saint est l'Esprit du Seigneur et c'est par lui que nous devenons **conformes** (σύμμορφοι) à l'image du Fils de Dieu. « Celui qui adhère au Seigneur est un même Esprit » avec lui, (I Cor. VI, 17.), en tant qu'il est enveloppé dans la même atmosphère de vie divine. Aussi Saint Paul, chaque fois qu'il parle de notre transformation surnaturelle, fait-il intervenir l'Esprit de Dieu, (II Cor. III, 18). Toutes ces idées convergentes nous expliquent les locutions si communes d'Esprit vivificateur, de vie dans l'Esprit et autres semblables, qui se réfèrent toutes à l'âme de l'Église. »

75. — 2) *Patres.*

S. Basilius *Cont. Eunom.* l. 5 M. 29, 725 C : « κτίσις οὐχ ἁγιάζεται κτίσιν » (Cf. Thes. 8, n. 39) ; l. 3 n. 2 M. 29, 660 B : Spiritus Sanctus quasi ignis est quo igniti fimus. — Cf. col. 772.

De Spiritu Sancto c. 26 M. 32, 180 C : « Itaque quatenus Spiritus Sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, **formae** (εἴδους) **rationem obtinet.** Nam qui jam non vivit secundum carnem, sed Spiritu Dei agitur ac Filius Dei nominatur et conformis imagini Filii Dei factus est, spiritualis dicitur. Et sicut cernendi vis est in oculo sano, sic operatio Spiritus (ἡ ἐνέργεια τοῦ Πνεύματος) in anima purgata. Eoque Paulus optat Ephesiis, ut oculos habeant illuminatos in Spiritu sapientiae, (Ephes. I, 17, 18). Et quemadmodum ars est in eo qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo qui recepit eam, semper quidem praesens, at non perpetuo operans. Nam et ars potentia quidem est in artifice ;

actu vero tum cum secundum illam operatur : itidem Spiritus semper quidem adest dignis sed operatur prout opus est... Praeterea sicut in corporibus est sanitas, aut color, aut in genere affectiones facile mobiles ; sic et in anima frequenter est Spiritus, in iis qui propter mentis mutabilitatem facile gratiam acceptam expellunt, nequaquam permanens... Item quemadmodum verbum est in animo, interdum ut in corde cogitatum, interdum ut lingua prolatum : sic et Spiritus Sanctus...

Omnia simul complent corpus Christi in unitate Spiritus... Quemadmodum partes sunt in toto, ita singuli sumus in Spiritu, eo quod omnes in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus... »

S. Athanas. *Ad Serap.* I. 19-24 M. 26, 574-587. : Spiritus Sanctus chrisma est et sigillum, quo signati, dii efficimur.

Epiphan. *Haereses* 74 n. 13 M. 42, 500 C. probat, cum multis aliis Patribus, Spiritus Sancti divinitatem ex hoc quod per ipsum deificamur.

76. — S. Cyrill. Alex. *Glaphyr. in Genes.* l. 1 M. 69, 29 C. « **Ipse igitur est nostra vita, ipse justificatio.** »

In Joan. I, 13 M. 73, 157 A : « Si enim neque Deus secundum naturam, neque ex Deo est Spiritus ejus eique substantialiter inexistens, sed alius ab ipso, nec a natura creaturarum alienus, quomodo nos, qui per ipsum nati sumus, ex Deo nati dicimur ? Aut enim mentiri plane evangelistam fatebimur : aut si verax est, sicuti est profecto, Deus erit, et ex Deo secundum naturam Spiritus : cujus participatione per fidem in Christum donati, et ex Deo nati esse dicimur, et eam ob rem dii nuncupamur, **non gratia solum ad supernaturalem gloriam evecti, sed quo jam Deum in nobis habitantem atque diversantem habemus,** juxta illud prophetae dictum : « quia inhabitabo in ipsis et inambulabo inter eos. » Alioqui, respondeant, quaeso, nobis ; qui tanta pleni sunt inscitia, quomodo templa Dei simus, juxta Paulum, inhabitantem in nobis Spiritum habentes, nisi Spiritus Deus sit secundum naturam... »

In Joan. l. 10 M. 74, 437 D. : justi sunt « qui Sancto Spiritu signati sunt (κατεσφραγισμένους εἰς) in justitiam et sanctificationem per fidem in Christum. »

In Joan. l. 11 M. 74, 544 C. D. Cf. thes. 8, n. 40.

Thesaur. M. 75, 576 C. : « Si ergo habitante in nobis per participationem Spiritu, Deus est qui inhabitat, nosque in ipso sumus, atque ipse in nobis, quia Spiritum in nobis gestamus : quomodo non erit Spiritus Deus, qui totam Dei ac Patris deitatem in se essentialiter continet, cujus et Spiritus est, et per Filium creaturis donatur ? »

Thesaur. M. 75, 584 D. sq. (Cf. thes. 8, n. 40).

Ibid. col. 591 D. : « Si Spiritus eos in quibus versatur vivificat et divinae naturae participes efficit : **Deus itaque est, et ex divina essentia naturaliter per Filium creaturae suppeditatur, eamque in se reformat.** Nam, sicut proprium luminis opus est illuminare, et nulla res in universum illuminare queat nisi sit lumen : ita etiam divini Spiritus opus est, eos qui

ipsum suscipiunt deos efficere. **Neque vero divinae naturae participem quemquam efficere posset, nisi ipse etiam divinae essentiae esset.** »

Ibid. col. 598 A-C : « **Ipsam enim illam sanctificantem vim** (δύναμιν) atque virtutem, quae ex Patre naturaliter (φυσικῶς) procedit et imperfectis perfectionem tribuit, **dicimus esse Spiritum Sanctum.** Supervacaneum enim est, ut apparet, per medium aliquod sanctificari creaturam, cum Dei benignitas non dedignetur ad minutissimas etiam res pervenire easque per Spiritum Sanctum sanctificare... Quaenam igitur haec gratia est ? **Non alia certe quam Sancti Spiritus in cordibus nostris facta infusio...** Spiritus itaque Sanctus **per seipsum** in nobis operatur, **vere sanctificans atque uniens nos sibi ipsi : et, per conjunctionem ac copulam nostri secum, naturae divinae participes facit.** »

Ibid. M. 75, 609 D., Cf. n. 74.

De SS. Trinitate Dial. VII M. 75, 1087 B : « Non ipse itaque (Spiritus Sanctus) in nobis, sed per ipsum gratia imprimitur...**Oporteret igitur imaginem gratiae, non imaginem Dei vocari hominem** .. »

De SS. Trin. Dial. VII M. 75, 1090 : « Deus ergo est Spiritus, qui ad Deum efformat οὐχ ὡς διὰ χάριτος ὑπουργικῆς, ἀλλ' ὡς θείας φύσεως μεθεξιν, ἑαυτῷ τοῖς ἀξίοις δωρούμενον »

Multa alia vide apud Petav. l. 8 c. 4 et 5.

77. — 3) Confirmatur.

Alex. Halens. *Summa*, p. 3 m. 2, a. 2. Resolutio.

S. Thomas III Sent. D. 10 Q. 2 a. 2 quaestiunc. 3 sol. 3.

Ex quibus textibus clare apparet deificationis nostrae **partem principaliorem** tribuendam esse ipsi Spiritui Sancto non tantum quatenus est effectus operationis divini Spiritus, sed etiam quatenus **ipse Spiritus Sanctus est aliquo modo forma** hujus deificationis. Quomodo autem sit forma Patres non docent.

Thes XIII. – Modo prorsus singulari Scriptura et Patres deificationem nostram tribuunt Spiritui Sancto. Utrum vero illi dicenda sit propria an tantum appropriata, ex fontibus non videtur posse certo dijudicari.

Cf. Hurter n. 200-201 ; Terrien I, p. 420-fin ; II p. 376-394 ; Frojet p. 87-84 ; 130-170 ; Pesch II, n. 685-690 ; de Régnon IV p. 524 sq. ; Bellamy p. 334-337 ; Franzelin *De Deo Trino*, thes. 45 sq. ; Weiss, *De septem donis Spiritus Sancti* p. 3-12 ; Petav., *De Trin.* l. 8 c. 6, 7 ; Mahé RHE. 1910 p. 478 sq. ; Weigl, p. 186-196.

78. — Paucis quaestionem hanc, inter theologos acriter disputatam, absolvemus. Praecipui textus interpretandi, jam in thesibus praecedentibus sufficienter recitati sunt.

I) **Ponitur quaestio.**

1. Appropratio est attributio communium uni prae aliis ob analogiam cum proprietate personali ut haec nobis plenius manifestetur.

Quod vero proprium est alicui personae tribuitur illi titulo speciali, ita ut aliis personis conveniat tantum propter circuminsessionem.

Hinc, si inhabitatio propria esset Spiritui Sancto, Spiritus Sanctus in anima justi **praesens esset ratione sui,** aliae vero personae ratione Spiritus Sancti, non titulo communi.

79. — 2) **In tribus theologi conveniunt :**

a) Inhabitatio tribuenda est Spiritui Sancto saltem per appropriationem.

Hinc rejiciendae omnino sententiae Verani *(Theologia speculativa universa* t. III D. 15 n. 11 sq.), Oberdoerffer (*De inhabitatione Spiritus Sancti in animabus justorum* c. II p. 31). Vide Frojet p. 69-77.

b) Principiative et efficienter est toti Trinitati communis ; etenim operationes ad extra communes sunt tribus personis.

c) Etiam Pater et Filius, saltem propter circuminsessionem, habitant in justo (Sicut et in Verbo Incarnato, vel in SS. Eucharistia).

Cf. v. g. S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 11 M. 74, 544 ; *De Trinit. Dial.* M. 75, 837. — Cf. Terrien I p. 285 sq.

3) **Sententia communior tenet inhabitationem Spiritui Sancto non esse propriam, sed tantum appropriatam.**— Contradicunt vero Petavius, *De Trinitate* l. 8 c. 6 ; Thomassin *De Incarnat.* l. 6 c. 10 sq. ; Lessius, *De div. perf.* l. 12 c. 11. Cornelius a Lapide, passim ; Schrader, *De Triplici ordine,* passim ; Scheeben, *Mysterien,* p. 141 sq. ; *Dogmatik* II § 169 ; Jovene p. 489 sq., et alii non pauci (Hurter ? n. 201).

80. — II) **Quid teneamus.**

1) Modo prorsus singulari deificatio nostra, in Scriptura et Traditione, tribuitur Spiritui Sancto.

Vide textus apud Petav., Thomass. et illos quos nos attulimus n. 12, 39-41, 74-76.

2) Insufficiens videtur sententia quae inhabitationem Spiritus Sancti explicat per solam infusionem gratiae creatae, quatenus haec infusio fundat novam relationem cujus terminus est gratia increata. Contrarium dicunt explicite Patres. Vide textus citatos n. 76.

3) Habitatio Divinitatis in nobis debetne dici Spiritui Sancto propria, an tantum appropriata ?

Sub hac forma Patres quaestionem non noverunt. Tamen **non improbabilis est interpretatio Petavii.** Cf. Mahé RQ H. 1909, p. 470 sq.

Neque inde negatur efficientia ad extra tribus personis communis (argumentum, si valeret, valeret etiam contra Incarnationem). Neque affirmatur unio hypostatica inter Spiritum Sanctum et justos : haec enim locum non habet inter *personas,* quamvis arctissime uniantur (Cf. Hurter n. 201). — Objectionibus respondet Jovene p. 522 sq.

N. B. Interpretationem non vulgarem tradit **de Régnon** IV, p. 537 sq. Juxta illum inhabitatio **propria est unicuique personae.**

81. — Schol. III. — De relatione inter gratiam sanctificantem creatam et increatam.

Cf. Petav. *De Trin.* l. 8 c. 6 n. 3 ; de Régnon IV p. 553-558 ; 484 ; Terrien I, p. 231-242 ; 408-419 ; II p. 361-365 ; Jovene p. 471-481.

Videtur dicendum **gratiam creatam esse effectum praesentis Spiritus Sancti in anima renata**, ideoque ratione et causalitate, etsi non tempore, antecedere Spiritum Sanctum qui gratiam creatam producit ut ea quasi vinculo cum anima conjungatur.

Probatur, quia sigillum prius est formae impressae, forma transformans prior formae transformatae, sol prior radio.

Atqui, juxta Patres, Spiritus Sanctus est sicut sigillum vel forma transformans, vel sol... (vide textus citatos thes. 1, 8, 12) ; ergo...

Ita cum Petavio, Jovene, de Régnon et aliis contra multos.

82. — « ....**Le point vif de la question** est le suivant : La modification produite dans l'âme, c.-à-d. la grâce sanctifiante, précède-t-elle ou suit-elle cette présence substantielle du Saint-Esprit ? Est-elle une prédisposition qui attire la Personne divine, ou bien est-elle l'effet immédiat de cette présence, comme la forme imprimée dans la cire est le résultat immédiat de la pénétration du cachet ? En d'autres termes : la présence du Saint-Esprit est-elle logiquement antécédente à la grâce d'adoption ?

Cette dernière proposition est enseignée expressément par Didyme, qui, après un long développement à l'appui, écrit cette phrase citée par Petau : « Nunquam enim accipit quisquam spirituales benedictiones Dei, nisi praecesserit Spiritus Sanctus. Qui enim acceperit Spiritum Sanctum, consequenter habebit benedictiones, id est sapientiam et intellectum et caetera... » (*De Spiritu Sancto* l. 1 § 10)...

Je renvoie encore à Petau pour la preuve patristique de cette proposition... » (de Régnon p. 556).

Vide et. : Lessius *De perf. div.* l. 12 c. 11 ; *De Summo Bono* II, c. 1 n. 4. ; Cornelius a Lapide, *In II Petr.* I. 4. ; Alex. Halens. S. p. III m. 2, a. 2.

« .... Gratia enim causatur in homine ex praesentia Divinitatis, sicut lumen in aere ex praesentia solis... » S. Thomas, III, q. 7, a. 13. — Attamen S. Thomas gratiam creatam potius considerat ut est dispositio ad habendam divinam personam. Cf. I q. 43, a. 3 ad 2 ; I Sent. D. 14, Q. 2 a. 1 q. 2.

Thes. XIV. — Gratia sanctificans est donum permanenter et physice animae inhaerens, realiter distinctum ab essentia animae et a virtute caritatis. Pertinet autem ad praedicamentum qualitatis, et dici potest habitus, etsi non propriissime ; atque recipitur in ipsa animae renatae essentia tanquam in subjecto immediato.

Suarez l. 6, c. 1-3 ; Pesch n. 307-324 ; Hurter n. 167-171 ; Prumbs, *Die Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der heiligmachenden Gnade* ; Habert, *Theol. Graec. Patr.* p. 355 sq. ; Terrien I p. 112-126 ; II p. 373-375.

Breviter in hac thesi natura gratiae justificantis creatae explicatur. Rejecta supponitur sententia Magistri. Cf. n. 19, 43.

83. — Pars I^{a} : Est donum permanenter et physice animae inhaerens.

Praenot.—Quod gratiae donum sit aliquo modo permanens, certum est; nam qui justus est servat justitiam usque dum peccet. — Num moraliter tantum a) sive quatenus est ipsa gratia actualis quae in animam jugiter influat, b) sive per denominationem ab actu, v. g. contritionis, charitatis, praecedente, eo modo quo ab actu praeterito dicitur quis peccator? Hanc sententiam nullus de facto tenet. — Secundum omnes catholicos, gratia est entitas quaedam physica in suo esse physico perseverans. — Id juxta alios est de fide, ex Trid. Ita Suar., *De Gr.* VI, cap. 3, n. 6 ; Bellarm., *De Gr. et lib. arb.* I, cap. 3, etc. — Negant alii, cum Vasquez, *In 1. 2*, disp. 203, cap. 3 et sq. — Errant qui censent sent. negantem liberam esse et tutam ; neque in ea re probandus videtur Morinus, *De disciplina in adm. Sacr. Paen.*, l. 8, cap. 2 sq., praecipue cap. 8. — Datur tamquam **ita certa ut nequeat sine temeritate negari.**

84. — Probatur.

1° *Ex consensu unanimi Theologorum*, quem testantur Bellarm., *De Gr. et l. arb.* I, cap. 3 ; Ripalda, *De Ente sup.*, disp. ult., n. 22 ; Suar., l. 6, cap. 1 n. 4. Praeterea Innoc. cap. 3 Majores, tit. 42, et Conc. Viennense, B. 483 (411).

2° *Ex Trid.* a) Sess. V, can. 5. Cf. can. 3 et 4 : gratia de qua hic nequit esse aut actualis aut actus; — b) sess. VI, cap. 7 : justif. fit per susceptionem vol. gratiae et donorum et juxta mensuram dispositionum ; can. 11 : justificatio includit gratiam et caritatem quae *inhaereat*. Mens Trid., ex Pallavicini l. 8, c. 14, n. 3, Actis (Theiner p. 221, 248), Catech. rom., p. 2, cap. 3, n. 50, est gratiam esse quid physice perseverans (Pesch, n. 308). Cfr. Suar., *De Gr.* VII, cap. 8, n. 9 sq. — Cf. n. 19.

3° *Ratione theol.* :

1) Actus in fieri non sunt formaliter justificativi, sed tantum dispositivi, ac ne de condigno quidem, sed tantum de congruo ; e. nec sunt formalis justitia quatenus moraliter perseverant.

2) Ejusdem rationis est forma justitiae permanentis in adultis ac in parvulis ; a. parvuli nequeunt esse formaliter justi per gr. act. aut actus moraliter perseverantes.

3) Addatur ratio S. Thomae, I. II, q. 110, a. 2 ; Cf. Pesch, 307.

85. — Pars II^{a} : Gratia sanctificans est realiter distincta ab animae renatae essentia et potentiis. — Pesch, n. 314 sq.

Status Quaest. — Certum est gr. sanctif. non esse aliquam substantiam (repugnat substantia intrinsece supern^{is} ; nec posset uniri animae ; Cfr. Suar., VI, cap. 2, n. 1), sed accidens.

Quaestio : estne entitas propria et realiter distincta ab anima, an tantum modus realiter cum anima identificatus, per operationem divinam eductus ex potentia ejus obedientiali et formaliter ab ea distinctus ? Ita olim, ante Trid., quidam Joan. Vincentius, (apud Suar. VII, cap. 15, n. 2).

Thesim adeo singularem renovavit Palmieri, transferens in theologiam placita sua philosophica circa distinctionem accidentis a substantia (in tractatu De Gratia, lithographicis prelis commisso : Cf. Jovene, p.182, 183.)

Assertio est **communis,** non quidem de fide, sed sec. Suar. VII, 15 n. 8 certissima « quae sine magno errore in dubium revocari non potest. »

86. — Probatur. 1) Modus virtualiter tantum distinctus ab anima non videtur posse dici esse forma animae, Vienn., B. 483 (411), ei inhaerere, in corde diffundi (Trid.).

2) Sola ratio quam afferunt adversarii est quod oporteret ut gratia, realiter distincta ab anima, efficienter producat in ea aliquem modum ab ipsa indistinctum, quo homo ipse fiat formaliter justus. Ille autem modus potest educi e potentia obed. animae immediate a Deo, quin requiratur efficientia qualitatis realiter distinctae. Atqui ipsa anima potest fieri intrinsecus sancta per gratiam realiter ab ejus substantia distinctam, quin requiratur ille modus intermedius. — Cfr. Pesch, n. 317.

3) In sententia quam rejicimus perverti videtur conceptus genuinus τοῦ supernaturalis : gratia revera esset terminus evolutionis naturalis animae.

87. — Pars III^{a} : Est realiter distincta a virtute caritatis.

Proenot. Adversarios habemus non tantum scolam Scotisticam, sed et Vegam, *De Justif.* l. 7, c. 25 ; Bellarmin., *De Gratia et lib. arb.* l. 1, c. 6 ; Estium et alios. — Cf. Lessius *De perf. div.* l. 12, c. 11, n. 76 ; Pesch n. 318 sq. ; Wirceb. n. 404-406 ; Vasquez I. II. D. 198.

Sententiam nostram damus ut **probabilem** tantum.

Rationes pro reali identitate (Pesch, 319-321 ; Wirc. 405-406) :

1. Quia justificatio tribuitur caritati ; a. justificatio fit formaliter per gr. sanctif. — Resp. : caritati generice et metaphorice, quo modo justificatio, ut est quaedam amicitia cum Deo, dici potest caritas ; — item, quatenus gratia est donum quo nos a Deo diligimur et Deo cari sumus, *conc.*; caritati specifice, *subd.* : ei tribuitur justif. tq. causae formali, *neg.* ; meritoriae et dispositivae, *conc.* — Textus singulos explicant Wirc.

2. Gratia sanctif. est supern. vita animae ; a. vita animae est caritas. — R. : grat. sanct. est vita animae ut natura, *conc.*; ut potentia, *neg.*

3. Gratia sanctif. nequit esse sine caritate ; e. non intercedit realis distinctio. — R. : a) retorq. in virt. moralibus ; b) neg. conseq^{am} ; c) sunt inseparabiles metaphysice, *conc.*; physice, et vi praesentis provid., *neg.* (Wirc. 406, inst. 2).

4. Trid. identificat gratiam cum caritate. — Cf. Wirc. 406, Prumbs. — Resp. : Non certum est Tridentinum non favere aliquo modo Scotistis.

88. — Probatur assertum. 1. Realem distinct. innuunt a) Scriptura, b) Concilia (Wirc. 404, Pesch, 322) : gratia *et* virtutes, gratia *et* dona, gratia *et* caritas : nominantur tq^{m} duae res.

2. Ex *Patribus* (Wirc. ibid.).

3. *Ratione* : a) caritas est habitus operativus ; a.sicut potentiae operativae naturales praerequirunt naturam, ita convenit ut prius constituatur illud esse supernaturale, quod est quasi natura in ordine sup., quam infundantur a Deo habitus operativi actuum supern. (Pesch, 324).

b) Ex eo quod habitus charitatis non est formaliter justificativus(Wirc.).

4° Confirm.ex auctoritate Theol. qui profitentur hanc sententiam : S.Th. I. II. q. 110, a. 4 ; II.II, q. 23, a. 2 ; Suar. VI. cap. 11-13, et alii apud Pesch.

89. — IV$_a$ Pars.

A. Donum gratiae sanctif. est aliqua qualitas absoluta : 1) Sequitur ex dictis : est enim « informans animam » (Vien.), ergo accidens. Atqui nec mera relatio et denominatio (ordo sive ad bene agendum, sive ad inhabitantem Sp. S.), neque motio transiens vel actio, etc. ; ergo qualitas quaedam absoluta. (Pesch, 310).

2. Explicite Cat. Trid., *De Bapt.*, n. 50 : « Est autem gratia... divina qualitas in anima inhaerens... »

B. Referenda est ad speciem habitus (Pesch, 311), utpote dispositio de difficili mobilis (siquidem est permanens). Explicite Viennense, B. 483 (411).

C. Nequit tamen vocari habitus presse eo sensu quo theologi communiter loqui solent de habitibus (Pesch, 312-313).

Ratio, quia primarium ejus munus est animam bene disponere non in agendo, sed in essendo ; a. habitus est qualitas per se primo ordinata ad operationem.

Hinc rectius dicitur esse qualitas per *modum habitus* ; nequit enim reduci ad aliam speciem qualitatis. — Dicitur quoque habitus entitativus ; non tamen quasi sit principium pure quiescens. Infunditur ut sit quasi-natura ; et sic est principium operationum supern. radicale.

V^a Pars : Recipitur in ipsius animae essentia, ut in subjecto immediato. — Contra S. Bonav. (II D. 26, q. 5) : recipitur per prius in potentiis. — Cum S. Thoma I. II. q. 110, a. 4. — Cf. Jovene p. 229-240 ; Terrien II, p. 373 sq.

90. — Schol. I. — Utrum gratia sanctificans creetur ?

Cf. Hurter n. 213 ; Suarez l. 8 c. 2 ; Ligeard, *La théol. scol. et la transcendance du surnaturel* p. 8 sq.

Eam creari **affirmant** Alex. Halens. p. 2, q. 9, m. 8 ; p. 4, q. 5 m. 3 ; Bonaventura, Scotus, Biel, Capreolus, Vega, etc. Alii **negant.**

Quaestio, quae fere de nomine esse videtur, his Sancti Thomae verbis

dirimi potest : « Ad tertium dicendum, quod gratia, cum non sit forma subsistens, nec esse nec fieri ei proprie per se competit : unde non proprie creatur per modum illum quo substantiae per se subsistentes creantur. Infusio tamen gratiae accedit ad rationem creationis in quantum gratia non habet causam in subjecto, nec efficientem, nec talem materiam in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus ». (De pot. q. 3, a. 8, ad 3um).

Vide quae in tractatu De Ente Supernaturali dicuntur de **potentia obedientiali.**

91.— Schol. II. — Utrum de potentia absoluta Deus possit hominem sibi gratum reddere, eumque in filium et heredem adoptare sine gratia habituali ?

Suarez l. 7 c. 3 ; Hurter n. 180.

Tres sententiae :

1^{a} affirmat : Deus potest.

Ita D. Soto, IV D. 1 q. 3 ; Medina I. II q. 110 a. 4 ; Capreolus I D. 17 q. 1 a. 3 ad 1 ; Ockam I D. 17 q. 1, et alii Nominales.

2^{a} negat : Deus non potest.

Ita Aureolus et alii.

3^{a} sententia contendit Deum id facere posse sine infusione gratiae habitualis, non vero sine gratia actuali.

92.—Schol. III. — Utrum homo possit habere gratiam justificantem quin sit filius adoptivus.

Suarez, l. c. c. 4.

Agitur de potentia absoluta.

1) Nominales qui tenent gratiam habitualem non ex natura sua, sed ex libera acceptatione Dei justificare, respondent affirmative. — Cf. n. 66.

2) Alii dicunt hoc involvere contradictionem ; nequit enim forma informare quin producat effectum formalem saltem primarium.

Quaerendum igitur est quisnam effectus sit primarius. — Cf. n. 57.

93. — Schol. IV. — Gratia habitualis dicitur **operans** ex effectu formali, quatenus animam reddit deiformem et sic aptam remote ad operationes supernaturales ; dicitur **cooperans**, quatenus cum actu supernaturali secundo cooperatur sicut v. g. anima cooperatur cum intellectu quando elicit actum intellectus.

Cf. S. Thom. I. II q. 111, a. 2 ; S. Bonavent. II D. 26, q. 6 ; D. 27 a. 1 ; Cajetanus I. II. q. 111 a. 2 ; Capreolus I D. 17 q. 1, concl. 3, (t. II, p. 73) ; Van der Meersch, n. 130,

§ 4. — *Unio Justi cum Christo.*

Thes. XV. — Quicumque vero per gratiam regeneratur in vitam novam ita in Christum Patris Primogenitum transformatur, ut Christus et regeneratus vere dicantur et sint duo in Spiritu uno et in carne una.

Christus, p. 732... ; 734... ; 789... ; 843... ; Gardeil, *Le donné révélé*, p. 353 sq. ; Terrien I p. 299-353 ; Bellamy, *La vie surnaturelle*, 2e éd. p. 208-234 ; Petav. *De Incarnat.* l.II, c. 7 ; Hurter n. 186, 187 ; Weigl, p. 227 sq. ; Prat, *La théol. de St. Paul* I, 534 sq.; II p.450-456 ; De Smedt, *Notre vie surnaturelle*, p. 58 sq. ; Scheeben, *Mysterien*, p. 554 sq. ; Cornelius a Lapide, *In Epist. ad Ephes.* I, 10 sq. ; *ad Galat.* II, 20 ; III, 27.

94. — Scopus theseos est tueri et pro posse explicare doctrinam Scripturae et Patrum qua mira justi in Christum transformatio arctaque cum illo conjunctio haud obscure affirmatur et illustratur.

Thesis haec complementum est theseos praecedentis, quatenus aperit qua ratione et ipse Christus dicatur forma Christiani. Summatim jam indicata est thesi Ia n. 4 et 5. — De Christo justificationis causa finali, meritoria et exemplari, Cf. Schol. n. 109 ssq.

I. **Factum unionis arctissimae justorum cum Christo** in fontibus revelationis clare docetur.

1) Recolatur doctrina Sancti Pauli de corpore mystico Christi, cui apud Joannem respondet doctrina de Christo vite. — Cf. Prat, l. c.

2) Justificati, Christo induti sumus ; Christus formatur in nobis.

« Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » (Gal. III, 27).

« Induimini Dominum Jesum Christum » (Rom. XIII, 14).

« Renovamini autem Spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » (Ephes. IV, 23, 24).

« Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. » (Coloss. III, 10 ; Cf. II, 8-13.)

« Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » (Rom VIII, 29).

« Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. » (Galat. IV, 19).

Patres doctrinam hanc eximie illustrant.

95. — 1) Christianus Christus est. S. Aug. *De praedestinatione Sanctorum* n. 31 M. 44, 982 sq. « Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ex gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus : de ipso Spiritu et hic renatus, de quo est ille natus... » Vide supra, n. 9.

In Evangel. Joannis tr. 21 n. 8, 9 M. 35, 1568 sq. « Ergo gratulemur et agamus gratias, **non solum nos christianos factos esse, sed Christum.** Intelligitis, fratres, gratiam Dei super nos capitis ? Admiramini, gaudete, Christus facti sumus. Si enim caput ille, nos membra ; totus homo, ille et nos... Plenitudo ergo Christi, caput et membra. Quid est,caput et membra? Christus et Ecclesia... »

96. — 2) **In Christum reformamur.**

S. Joan. Chrysost. *In cap. III ad Galat.* M. 61, 656. « *Omnes enim filii Dei estis*... Post haec,quoniam res est magna et admirabilis, explicat et modum quo fiunt filii Dei, 27. *Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Et cur non dixit, quicumque in Christum baptizati estis, ex Deo nati estis ? Hoc enim congruebat ad demonstrandum quod essent filii. Sed rem ille modo tremendo magis exponit. Etenim si Christus est Filius Dei, tu vero illum induisti ; **cum habes Filium in te, et in illum per similitudinem transformatus es,** in eamdem cognationem unamque speciem perductus es. 28... *omnes enim vos unus estis in Christo*... **hoc est, eamdem formam, eumdem typum habetis omnes, videlicet Christi.** Quid his verbis esse possit magis stupendum aut reverendum... ? »

S. Cyrill. Alex. *Thesaur.* M. 75, 577 D. « Paulus ad Galatas scribens, ita aït : *Filioli quos iterum parturio, quoadusque formetur Christus in vobis.* (IV,19). **Si vero formatur Christus in vobis per operationem Spiritus, per omnem virtutem reformans nos in propriam similitudinem** et spiritales efficiens, Deus itaque est Spiritus Christi, quippe qui, ut Christus, in nobis formatur. »

S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 40 n. 10 M. 36, 371. Si te diabolus oppugnet, « dic, signaculo fretus : ipse quoque Dei imago sum : nondum, ut tu, a superna gloria propter superbiam dejectus sum : **Christo indutus sum : Christum mihi per baptismum vindicavi : tu me ipse adora.** »

97. — Id. *De recta fide* M. 76, 1187, B : « Per hunc (Spiritum Sanctum) quoque divinus character nobis imprimitur ; **reformamur enim in Christum Jesum,** veluti in divinam quamdam imaginem : non quod corpoream aliquam conformationem subeamus (istud namque opinari desipere esset), sed quod Spiritus Sancti participes effecti, **ipsum in nobis Christum habeamus,** ita ut jam illud propheticum laetabundi cantare liceat : « Exultet anima mea in Domino : induit enim me amictu salutis stolaque laetitiae. » (Ps. XXXIV, 9). — « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » (Gal. III, 27).

De SS. Trin. dial. 4 M. 75, 905 A : « Divinae enim naturae participes **habitudine ad Filium per Spiritum** non sola opinione, sed veritate, sumus Deo, ad pulchritudinem quae est supra creaturam, reformati. **Formatur enim in nobis Christus ineffabiliter,** non ut creatus increatis, sed ut increatus ac Deus in creata et facta natura, ad suam imaginem transformans per Spiritum et ad dignitatem creatura superiorem creaturam, i. e. nos, transferens. »

In Joan. l. 3 M. 73, 513 A : « Describitur itaque justus **intellectuale**

manna in vase aureo habens, i. e. Christum, ad incorruptionem evectus, velut in Dei conspectu, et manens in conservationem, in longaevum tempus scilicet ac vitam aeternam...

Homil. Paschal. 25 M. 77, 900 B : « Cum nos igitur complexus fuerit Christus, quemadmodum scilicet vas aureum manna, tunc incorruptibiles erimus, vidente nos Deo, et in nos conjectum oculorum quodammodo intendente... »

In Joan. l. 10 M. 74, 279 B. C : « Christus mediator enim est Dei et hominum, sicut scriptum est, Deo quidem ac Patri naturaliter, ut Deus, et ut qui ex eo conjunctus, sed hominibus rursus, ut homo, et habens quidem in se ipso Patrem, et ipse in Patre existens. Character enim est ac splendor substantiae ejus, non a substantia, cujus est character et ex qua procedit ut splendor, alienus, sed in ea ipse existens, et habens eam in se ipso, nosque rursus in se, quatenus nostram gestavit naturam, et corpus Verbi nostrum corpus audiit. Caro enim Verbum factum est, juxta Joannis vocem. Tulit nostram naturam, ad suam vitam eam reformans. **Est autem etiam ipse in nobis : participes enim ejus omnino facti sumus eumque in nobis per Spiritum habemus.** Idcirco enim et divinae facti sumus consortes naturae et filii appellamur, ipsum quoque Patrem similiter in nobis habentes per Filium, uti et Paulus testatur dicens : « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba, Pater. « Non enim diversum quid a Filio est Spiritus ejus secundum identitatem naturae videlicet... »

98. — II. Quomodo justus in Christum transformetur ?

1) Quatenus Spiritu Christi, i. e. Spiritu Sancto quasi informatur.

S. Basil. *Cont. Eunom.* l. 5 M. 29, 724. : « Verum nec creatura sic misera, nec Deus sic imbecillis est, ut sanctam participationem in creaturas transmittat. Itaque statim ad sui imaginem voluit hominem facere. Profecto autem imago quae efficitur, dum ab exemplari transfertur, similitudinem in materia accipit ac characteris ejus efficitur particeps, ubi per artificis cogitationem manumque impressa fuerit. Sic pictor, sic sculptor, sic qui auream aut aeream statuam efficit, accepta materia, respicit ad exemplar, assumit rei quam speculatus est figuram, hanc in materiam imprimit. Quod si homines non possunt ad similitudinem informare materias, nisi earum ideam participent, quomodo ad similitudinem Dei ascenderit creatura, nisi characteris divini particeps effecta sit ? **Divinus autem character non qualis humanus est, sed vivens et vere existens imago imaginis effectrix, cujus dum participes fiunt res cunctae, Dei constituuntur imagines. Imago quidem Dei est Christus, qui est, inquit, imago Dei invisibilis** (Coloss. I, 15) **; imago vero Filii, Spiritus ; et qui hujus fiunt participes, Filii conformes efficiuntur... »**

Eadem est doctrina S. Cyrilli Alex. *In Joan.* l. 11 c. 11 M. 74, 554 C, D « Unio vero cum Deo non aliter in quoquam esse potest, quam per Sancti

Spiritus participationem, propriam nobis sanctificationem inserentis et ad suam vitam subjectam corruptioni naturam reformantis atque ita ad Deum et ad illius formam gloria ista privatos revocantis. **Imago enim Patris perfecta Filius est, similitudo vero naturalis Filii est Spiritus ejus. Idcirco transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit et supremae omnium substantiae effigiem insculpit.** »

In Is. I, 4 Orat. 2 M. 70, 936 B.« ... **Formatur autem in nobis Christus, sancto Spiritu nobis divinam quamdam formam, per sanctificationem et justitiam indente.** Sic in animis nostris, elucet character substantiae Dei Patris : reformante, ut dixi, sancto Spiritu, nos per sanctificationem in ipsum... »

Cf. textus supra, n. 96, 97, citatos.

Vide Corn. a Lapide *Ad Galat. III, 27* « Sicut materia formam, corpus animam quasi vestem substantialem induit, ut ea suam deformitatem, nuditatem et ruditatem tegat et ornet ; ita vos in baptismo Christum per gratiam induistis, **ut Christi Spiritus sit quasi forma et anima vestra...** »

99. — 2) Per imitationem virtutum Christi.

Cf. Corn. a Lapide, *In Rom. XIII, 14.*

« Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. » I Cor. IV, 16. — « Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu » Philip. II, 5 — « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. » II Cor. IV, 10,

S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 10 M. 74, 371 D « Videtur Dominus noster Jesus Christus **typum veluti quemdam et sanctae conversationis seipsum nobis proponere** ... ut nostris moribus singulari consilio conformatus, suis exemplo suo dux et auctor esset insolitae nobis et inaccessae prorsus conversationis... » Cf. l. 11, col. 521 sq.

Lege S. Anselmum, *Liber Meditationum...* n. 4-7 M. 158, 713 sq.

100. — 3) Quam unionem animae cum Christo SS. Patres comparant cum unione sponsi et sponsae.

S. Bernard. *Domin. I post Octav. Epiph. sermo II* M. 183, 158 sq. « Omnes enim nos ad spirituales nuptias vocati sumus, in quibus utique **sponsus est Christus Dominus ;** unde canimus in psalmo : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (Ps. XVIII, 6). Sponsa vero nos ipsi sumus... »

Cf. *Sermo 83 in Cant.* M. 183, 1182 sq. ; *Sermo 85*, ibid. col. 1193 sq. — Vide Vacandard, *St. Bernard* I p. 486 sq.

Fulgentius, *ad Trasimund.* l. 1 c. 10 M. 65, 233 sq. — « Nam si carnale matrimonium constituit duos in carne una : **cur non magis spiritualis copula duos conjunget in uno Spiritu ?...** » — Cf. S. Bernard. *In Cant. serm. 8* n. 9 M. 183, 814. (Cf. 811).

Imo, non tantum unus Spiritus sed una caro cum Christo sumus.

Cassian. *De Incarnat.* l. 5 c. 12 M. 50, 132. « Et adjunctus est (Christus) uxori suae, quia sicut vir et mulier unum corpus sunt, ita **majestas divinitatis et caro hominis uniuntur, et facti sunt duo, i. e. Deus et anima in carne una... Caro Ecclesiae, caro Christi est...** »

101.— Nuptiae Christi cum *natura humana* factae sunt in utero Virginis : « Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, **quando hunc in utero Virginis humanae naturae conjunxit,** quando Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum... » S. Gregor. Mag. *Hom. 38 in Evangel.* n. 3 M. 76, 1283 B.

Nuptiae *animae* cum Christo fiunt in baptismo. « Mulieri igitur viro secundum leges collocatae persimilis est ea anima putanda quae per fidem ac Spiritum Christo est collocata atque conjuncta. Desponsatam vero virginem putabimus, quae ad initia verae cognitionis vocata est illa quidem, non tamen adhuc perfecte Christo conjuncta, **sed adhuc sancti baptismatis gratiam sanctique Spiritus communionem tamquam nuptias quasdam** verioremque conjunctionis modum exspectat... » S. Cyrill. Alex. *De ador.* M. 68, 541 B.

De matrimonio animae justae cum Christo, lege opusc. *De dilectione Dei et proximi* cap. 13 (inter opuscula Divi Thomae).

Cf. etiam Cornel. a Lapide *In II Cor. XI, 2,* et quae in tractatu de peccato dicuntur, quod **peccare sit fornicari a Domino.**

Vide et Mgr Gay, *Vie et vertus chrétiennes : De la chasteté* (ed. 1883 t. II p. 123 sq.); Scheeben, *Mysterien,* p. 563 sq. ; Origenes, *In Cantic. Cantic.* M. 13, 37 sq. (Cf. Freppel, *Origène* II, p. 175-180.)

102. — 4) Inde plene intelligitur cur summa vitae christianae sit sequela Christi.

« Ut uno verbo dicam, **cum rei summa Christi sequela sit** si quid huic consonat, id eligendum ; si quid contra non consonat, id repudiandum. » S. Cyrill. Alex. *In Luc.* V, 26 M. 72, 793 C.

S. Cyprian. *De idol. vanit.* n. 11 M. 4, 579 A : « Quod homo est, Christus esse voluit, ut et homo possit esse quod Christus est. »

S. Iren. *Adv. Haeres.* l. 5 Praefat. M. 7, 1120 B : « Jesum Christum Dominum : quia propter immensam suam dilectionem factus est quod sumus nos, uti nos perficeret esse quod est ipse. »

S. Athanas. *Orat. 2 cont. Arianos,* 70 M. 26, 295 : « Idcirco hujusmodi copulatio (Dei et hominis in Christo) facta est, ut eum qui natura homo est cum illo qui natura Dei est, conjungeret, hocque pacto firma esset ejus salus et deificatio. »

Cf. S. Ambros. *In Luc.* l. 5 n. 46, M. 15, 1648 ; S. August. *De Civit. Dei,* l. 9 c. 15 n. 2 M. 41, 269.

Hinc « Χριστιανισμός ἐστι τῆς θείας φύσεως μίμησις. » S. Gregor. Nyssen. *De professione christiana ad Harmonium* M. 46, 244 C. — « Le Christianisme

n'est en définitive que le dogme, la loi et le fait de la déification des créatures. » Mgr. Gay, *Vie et vertus chrétiennes*, t. I p. 302 (éd. 1883).

Et gratias agam Deo « quoniam nomen magnum concessisti mihi,ut vocer Christiana. » Test. Dom. (Cf. Dom Morin, Rev. Bénéd. 1900 [t. 17], p. 22).

Definiri quoque potest vita supernaturalis hoc textu Sancti Pauli ad Galatas II, 20 : « **Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus.** » Haec enim est illa « translatio ab eo statu, in quo homo nascitur **filius primi Adae,** in statum gratiae et **adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum.** » Trident. VI cap. 4 B. 796 (678).

« Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην. » (Rom. X, 4). « Via Christus est ; si quis in ea non graditur, non est quomodo veniat ad Deum. » S. Isidor. Hispal. *Sent.* l. 1 c. 17 n. 4 M. 83, 575 B.

103. — Coroll. — Utrum gratia justificans majorem vim vel dignitatem habeat ex eo quod est gratia Christi ?

Dicendum cum Suarez, l. 7 c. 5 ; l. 12 c. 19 :

1) Forma intrinseca justificans plenam sanctificantem vim et dignitatem habet substantialem ex se, nihilque ei accrescit ex relatione cum justitia Christi.

2) Attamen ex relatione quam habet cum Christo, quaeque illi in hoc ordine essentialis est, justitiae nostrae magna accrescit dignitas, quatenus per illam constituimur membra Christi viva sicque gratiam jam non accipimus extrinsecus. (Cf. S. Athanas, *Cont. Arian.* II, 68, M. 26, 292). — Sic et ipsi gratiae habituali Christi, ex sua conjunctione ad gratiam unionis hypostaticae, peculiaris dignitas confertur quia ex hac junctione fit gratia capitis.

3) Addi potest, gratiam, prout fundatur in Christo et meritis ejus, esse principium merendi perfectiori modo, quia ex justitia magis propria : quod multum refert ad moralem gratiae dignitatem.

104. — Schol. — De filiorum pane.

Hurter n. 191 ; Jovene p. 541-555 ; Terrien II, p. 83-120, 395-399 ; Bellamy p. 254-274 ; Mahé, *L'Eucharistie d'après Saint Cyrille d'Alexandrie,* RHE 1907 (t. 8), p. 677-696 ; Weigl p. 141 sq. ; 201 sq.; Bock, *Die Brotbitte des Vaterunsers* (Paderborn 1911) ; trad. Villien (Lethielleux, 1912) ; de la Reguerra, *Praxis theol. myst.* I. l. 2, q. 3.

Siquidem vita supernaturalis est vita Christi in nobis, mirum non est SS. Eucharistiam hanc vitam singulariter augere atque fovere.

« Ecquo ergo modo nos vivificat (Christus) ? Ut Deus : verumtamen non per hoc solum id facit quod sanctum nobis Spiritum impartitur, sed per hoc quoque, quod Filii hominis carnem, quam assumpsit, vescendam proponit. Aït enim : Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis... » S. Cyrill. Alex. *De recta fide ad Theodos.* M. 76, 1189 B.

Pauca tantum indicamus de hoc argumento, quod pertinet ad tractatum de Eucharistia.

105. — A. Eucharistia necessaria est ad vitam supernaturalem.

I. Necessitas praecepti.

1) *Praeceptum Eccl.* — **Certum.**

Concil. Lateran. IV B. 437 (363) ; Trident. sess. XIII B. 891 (771) ; Innoc. XI B. 1205 (1072).

2) *Praeceptum divinum.* — **Communius.**

Joan. VI, 54. « Nisi manducaveritis... »

Trident. Sess. XIII cap. 2 B. 875 (756).

II. Necessitas medii.

1) *Non est necessaria necessitate medii ad salutem* :

a) quoad infantes. — **De fide.**

Trident. sess. XXI cap. 4. B. 933 (811) ; can. 4 B. 937 (815).

b) quoad adultos :

non est necessaria in re. — **Theol. cert.**

neque in voto. — **Probab.**

2) *Attamen moraliter necessaria est ad vitam gratiae servandam et augendam.* — **Probab.**

Joan. VI, 54 « *Nisi manducaveritis... non habebitis vitam...* »

Trident. XIII. cap. 2 B. 875 (756) « *Antidotum quo... a peccatis mortalibus praeservemur. — Spiritualem animarum cibum quo alantur et confortentur...* »

Florent. B. 698 (593). « Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur ; omnemque effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt temporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem... »

106. — B. Eucharistiae efficacitas.

I. Factum.

Indicatur jam clare in documentis citatis. — Vide S. August. *Confess.* l. 7. c. 10. M. 32, 742 « Cibus sum grandium, cresce et manducabis me : nec tu me in te mutabis, sicut cibus carnis tuae, sed tu mutaberis in me. »

Cf. Catech. Trid. p. II, n. 49.

107. — II. Modus : quomodo per Eucharistiam in Christum mutemur ?

1) S. Eucharistia **agit in ipsa corpora nostra**, eaque aliquo modo corpori Christi conformat.

Cf. S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 10, M. 74, 341 ; l. 4, M. 73, 580 A, 584 B.

2) Vi hujus arctioris unionis **magis inserimur Christo capiti et viti** perficiunturque **etiam in anima** lineamenta illa Christi quae vi regenerationis contraximus : « *Conformes fieri imaginis Filii sui* ». (Rom. VIII, 29).

Cf. S. August. *Sermo 57* n. 7, M. 38, 389.

In Evang. Joan. tr. 26. n. 13, M. 35, 1612 sq.

S. Cyrill. Alex. *In Luc. 22, 19*, M. 72, 908 B.

Adv. Nestor. l. 4, M. 76, 193.

108. — III. Per majorem unionem cum Christo **coarctatur et unio nostra cum SS. Trinitate et cum B. Virgine.** (Caro Christi est caro Mariae).

IV. S. Eucharistia **auget et unionem fidelium inter se.**

Cf. S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 11 M. 74, 560 A B

N. B. Eamdem doctrinam, sub alia forma, proponit **S. Thomas,** Cf. III. q. 73, a. 3 ; q. 79 a. 1 et 4.

CAP. III. DE JUSTIFICATIONIS CAUSIS.

Suarez. l. 8 ; Jovene, p. 526 sq. ; Habert, *Graec. Pat...* p. 362 sq.

Enumerantur a Tridentino VI cap. 7.

109. — I. Causa finalis assignatur triplex :

1) **Gloria Dei** : Finis ultimus et supremus omnium, ergo et gratiae, sed titulo speciali : quia opera gratiae propriissime opera Dei sunt, quatenus :

a) gratia participatio est ipsius naturae divinae ;

b) ex operibus gratiae Deus maxime agnoscitur et amatur.

2) **Gloria Christi.** — Christus summus est animarum medicus et salvator. Hinc, ejus gloria maxima est salus multorum.

Quae gloria animarum salutem non tantum consequitur, sed a Deo est intenta ut finis proprie dictus. « ...in quo (Christo) et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. » (Ephes. I, 14). « Vos autem Christi : Christus autem Dei. » I Cor. III, 23.

3) **Vita aeterna.** — Est finis maxime proprius (licet subordinatus), connaturalis, intrinsecus justificationis.

110. — II. Causa efficiens :

1) **Principalis : solus Deus**, de facto et de jure, quia solus Deus deificare potest sicut solus ignis efficit ignem.

« ... Donum autem gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae cum nihil aliud sit quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam. Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium divinae naturae, per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis. » S. Thom. I. II q. 112, a. 1.

2) **Instrumentalis : Sacramentum Baptismi,** saltem in voto. — Vide de causalitate sacramentorum.

111. — III. Causa meritoria : Christus.

Rom. V, 12 sq. : Christus novus Adam ; I Tim. II, 6 « dedit (Christus) redemptionem semetipsum pro omnibus » ; ibid. IV, 10 « qui est salvator omnium, maxime fidelium » ; I Cor. I, 30 « qui factus est nobis justitia et sanctificatio » ; Ephes. II, 14. « Ipse est pax nostra » ; Hebr. IX, 15. » « Et ideo novi testamenti mediator est... » — Cf. thes. I n. 4.

Christus causa meritoria principalis unica est de facto, et de jure si Deus exigat satisfactionem condignam. — Contra Scotistas. Cf. De Verbo Incarnato.

IV. Causa formalis unica: justitia nostra interna, (Cf. thes. XII) quae complectitur : praesentem Spiritum Sanctum, gratiam sanctificantem, virtutes theologicas et morales, dona Spiritus Sancti.

V. Causa materialis.

Cf. Schol. n. 86 : utrum gratia sanctificans creetur ?

112. — VI. Causa exemplaris,

1) **Prima, suprema et absoluta est essentia divina** cui per gratiam assimilamur. — Exemplar remotum.

« Ἡ πρὸς θεὸν ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις » Pseudo-Dion. *De Eccl. Hierarchia,* c. 1, § 3, M. 3, 675. — « Supremae omnium substantiae effigiem insculpsit. » S. Cyrill. Alex. *In Joan.* l. 11, c. 11. M. 74, 554 D.

2) **Secunda, proxima sed etiam absoluta, est Ipse Patris Unigenitus,** siquidem Filii adoptivi sumus per assimilationem ad Filium naturalem. Inde Christus vocatur **Primogenitus.** Cf. Terrien I p. 299-308. — Vide Thes XV.

De Spiritu Sancto, vide quae dicta sunt Thes. XII et XIII.

113. — 3) **Exemplar proximum**, dignitatis minoris et necessarium hypothetice tantum, i. e. in oeconomia actuali, est **humanitas Christi.**

« Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » (Rom. VIII, 29).

Cf. Terrien I p. 255-305 ; 310-312.

4) **B. Virgo Maria,** quae est **« speculum justitiae, »** i.e. Christi. — « De même que l'artiste contemple son idéal intérieur pour exécuter le chef-d'œuvre au dehors, Dieu regarde Marie pour produire ses élus ; comme l'œuvre est l'imitation du modèle, les prédestinés sont l'imitation de l'auguste Vierge. Notre préoccupation sera donc de nous transfigurer en notre idéal, de graver en nous chacun de ses traits par la pratique de ses vertus... » (Hugon, Rev. Thom. t. 11, p. 577.)

114. — Schol. — Maria Mater Gratiae.

Cf. Terrien, *La Mère des hommes* l. 7 ch. 3, 4 ; Bainvel, *Marie, Mère de Grâce*, Etudes 5 mars 1903 p. 577-603 ; Hugon, *Mater divinae gratiae*, Rev. Thom. 1902/1903 ; Bellamy, *Vie surnat.* p. 211 sq.

Est Mater gratiae, quia :

1) **Mater est auctoris gratiae.**

2) **Gratiae plenitudinem accepit.**

3) **Per Mariam gratia nobis confertur.** — Cf. De Verbo Incarn., thes. LII, LIII.

« Plena sibi, superplena nobis. »

Mater est et Christi corporis mystici ; per ipsam ergo supernaturalem

vitam habemus. Cf. Bossuet, *Sermon pour la fête de la Conception*, 9 Déc. 1669.

115. — Maria causa secundaria est, ubicumque Christus est causa primaria. Inde est justificationis nostrae :

causa exemplaris : praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.

causa meritoria et satisfactoria : B. Virgo meruit de congruo quod Christus de condigno. It. de satisfactione.

causa impetratoria. Vide tract. De Verbo Incarnato l. c.

Maria collum Ecclesiae, sicut Christus caput.

CAP. IV. DE JUSTIFICATIONIS PROPRIETATIBUS.

ART. I. DE JUSTITIAE INAEQUALITATE.

Thes. XVI. — 1) Justitia inaequalis est in diversis justis, 2) et in uno eodemque justo graduum capax et augmenti.

Hurter n. 214, 215 ; Pesch. V n. 378-380 ; VIII n. 59-80 ; Jungmann n. 315 sq. ; Van der Meersch n. 206 sq. ; S. Thom. I. II, q. 112, a. 4, Suarez l. 9 c. 1.

116. — St. Q. 1) Tempore S. Hieronymi docuit **Jovinianus** gratiam et virtutes esse in omnibus aequales. — **Lutheranorum** error notus est : « aeque magni sumus sicut mater Dei, et aeque sancti sicut ipsa ». Luther, *Sermo de Nativitate B. Mariae.*

2) Dicimus : *justitia* inaequalis est ; valet ergo thesis etiam de virtutibus infusis. Directe tamen agimus tantum de gratia sanctificante.

Probatur :

117. — I^a^ pars : inaequalis est in diversis justis.

1) *Trident.* cap. 7 B.799 (681) « justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam *Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult* (I Cor. XII, 11) et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem ».

Ex hoc textu propositio nostra est **doctrina catholica.** Definitur in recto justitia inhaerens, indirecte tantum justitia inaequalis.

N. B. Inaequalitatis duplex indicatur causa : voluntas Dei, dispositio justificati.

2) *Script.*

I. Cor. XII, 11. — Ephes. IV, 7 « Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi ». « Non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiae ejus infunditur, quantum valemus haurire ». (S. Hieron. *Cont. Jovin.* l. 2 n. 23 M. 23, 320).

3) *Ratio theol.*

Diversi sunt gradus gloriae, ergo et gratiae.

118. — II[a] pars : graduum capax et augmenti. — De fide.

1) *Docum. Eccl.*

Conc. Viennense, prop. 1 B. 471 (399).

Trident. VI, cap. 10 B. 803 (685) ; can. 24 B. 834 (716) et 32 B. 842 (724).

2) *Script.*

« Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. » Apoc. XXII, 11.

« Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. » Prov, IV, 18.

« Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes et invidias, et omnes detractiones sicut modo geniti infantes, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem. » I Petr. II, 1. 2.

« Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. » II Petr. III, 18.

Cf. Ephes. IV, 11-16 ; II Cor. IX, 10.

3) *Ratio theol.*

Gratia seminis instar crescit.

Omne vivens perficitur per operationes vitales.

119. — Scholion I. — In quonam consistat gratiae augmentum ?

Hurter n. 215 ; Van der Meersch n. 208 ; Vasquez, I, II D. 82 ; Suarez l. 9 c. 2 ; Ripalda D. 129 ; Pesch VIII, n. 63-72.

Quaestio difficilis, acriter disputata inter theologos. Videtur dicendum :

1) **Non augetur extensive**, quatenus habitus se jam ad plures actus extenderet. Etenim etiam minimus gradus gratiae se extendit ad omnes actus supernaturales : est enim principium remotum totius vitae supernaturalis.

2) **Neque per majorem radicationem.** Quid enim hoc significat ? Major firmitas et immobilitas gratiae non auget ipsam gratiam.

3) **Sed augmentum est intensivum et habitui intrinsecum.** Quomodo fit hoc intrinsecum augmentum ?

a) **Non additione gradus ad gradum ;** habitus gratiae simplex est.

b) **Sed per majorem explicationem gradus initialis gratiae.**

Sententiam S. Thomae vide II. II q. 24 a. 4 et 5 ; I D. 17 q, 2, a. 1.

Cf. Capreolus I D. 17 q. 2 (T. II p. 94 sq).

Plura habebis in tractatu De Virtutibus.

120. — Scholion II. — Utrum gratia sanctificans possit augeri sine limite ?

Suarez l. 9 c. 5-7 ; Pesch V n. 380 ; VIII n. 72.

Absolute loquendo, affirmative ; **negative** vero, **ex lege divina** quae certos gradus gloriae et proin certos gradus gratiae decrevit. — « Potest gratia Virginis assignari ut terminus extrinsecus augmenti gratiae respectu omnium aliorum hominum, imo etiam Angelorum. » (Suarez l. 9 c. 6 n. 8).

121. — Scholion III. — Quandonam augmentum conferatur ?

Suarez l. 9. c. 3 ; l. 12 c. 8 n. 4 ; Ripalda D. 90 s. 6 et 7 ; Gonet, *Clypeus* t. 4 tr. 10 D. 10 a. 8 n. 150 ; Pesch n. 79, 80 ; Van der Meerseh n. 211-216.

Tres sententiae.

1) **S. Thomas et Thomistae** : actibus intensioribus datur statim augmentum tum morale, tum reale ; actibus remissis datur statim augmentum morale, reale autem tantum postea, sive intra vitam quando homo elicuerit actum intensiorem, sive in statu termini.

Cf. S. Thomas I. II q. 52, a. 3 ; I Sent. D. 7 q. 2 a. 3 ; II. II q. 24 a. 6 ; I. II q. 114 a. 8 ad 3.

Hanc sententiam propugnat et Eminent. Card. Billot, De Virt. Infus. p. 44, et post ipsum Van der Meersch, l. c.

2) **Scotus** (IV D. 21 q. 1) : augmentum confertur in ipso instanti mortis.

3) **Suarez, Vasquez et Nostri communius** : augmentum, etiam reale, confertur statim. Haec sententia videtur **probabilior.**

Art. II. De Justitiae amissione.

Thes. XVII. - Omni peccato mortali gratia sanctificans amittitur.

Hurter n. 218 ; Pesch V n. 370-377 ; Jungmann n. 322-330 ; Van der Meersch n. 219-224 ; Suarez. l. 11 ; Habert, l. c. p. 376 sq.

122. — St. Q. — Adversarios habemus :

Jovinianum, dicentem « eos qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari. Quicumque autem tentati fuerint, ostendi eos aqua et non Spiritu fuisse baptizatos ». S. Hieron. *Cont. Jovin.* 2 n. 1 M. 23, 281 D.

Calvinum : soli praedestinati justificantur et qui semel justificatus est justitiam amittere nequit. Cf. *Inst.* l. 3, c. 2, § 11 (ed. Baumgartner p. 255).

Lutherum : « Homo christianus, etiam volens, non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eamdem fidem. » *(De capt. Babyl.)*

Hic etiam commemoranda est doctrina **Molinos** qui contendit possibilem esse statum tam altae perfectionis ut in illo peccata etiam gravissima non imputentur patienti qui proin justitiam non amittit. — Vide propos. damnat. 52 ; 55-58 ; 61 B. 1272 (1139) sq.

Thesim probamus duplici parte.

123. — Ia Pars : Gratia sanctificans amitti potest. — De fide.

1) *Trident.* VI cap. 12, 14 B. 805 (688), 807 (690) ; can. 23 B. 833 (715).

2) *Scriptura.*

« Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justititia sua fecerit

iniquitatem : omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. » Ezech. XXXIII, 12, 13.

« Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat. » I Cor. X, 12.

« Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet. » Joan. XV, 6.

« Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. » I Cor. IX, 27.

3) *Patres.*

S. Athan. *Cont. Arian. Orat. 3* n. 25 M. 26, 375 ; S. August, *De corrept. et gratia* c. 6, n. 9 M. 44, 921 ; S. Bernard. *In Cant. serm. 54* n. 11 M. 183, 1043.

4) *Ratio theol.*

Ipsa notio peccati *mortalis.*

Cf. S. Thom. II. II, q. 24 a. 12.

124. — IIª pars : Amittitur omni peccato mortali. — De fide.

Contra Lutheranos.

1) *Trident.* VI cap. 15 B. 808 (691), can. 27 B. 837 (719).

2) *Script.*

« An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. » I Cor. VI, 9.

« Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. » Jac. I, 14. 15.

Loquitur scriptura de peccatis mortalibus quae non sunt peccata infidelitatis, v. g. peccatum protoparentum, Davidis, Salomonis, Judae.

Difficult. Cf. Van der Meersch, n. 223.

125. — Scholion I. — Cum gratia santificante pereunt **et reliqua dona infusa**, praeter fidem et spem, quae per solos actus ipsis directe oppositos amittuntur.

Cf. Tractatum de Virtutibus.

126. — Scholion II. — Peccatum mortale gratiam expellit demeritorie, effective et formaliter.

Van der Meersch, n. 225 ; S. Thomas II. II. q. 24 a. 10 ; Suarez, l. 11 c. 4.

1) **Demeritorie** : homo, per peccatum a Deo se avertendo, dignus fit cui Deus principium radicalis ad Deum conversionis subtrahat.

2) **Effective** : non per efficientiam physicam, sed quatenus peccatum mortale est dispositio ordinis moralis ipsi gratiae contraria.

« Cum enim gratia non salvetur nisi ex continuatione influentiae a bonitate divina super faciem mentis nostrae ; quando anima a Deo avertitur,

influentia non continuatur et per consequens gratia corrumpitur ; anima autem avertitur per peccatum : et ideo quodam modo gratia per peccatum dicitur *corrumpi,* non quod peccatum agat in gratiam, sed quia, anima per peccatum se avertente et Deo cessante influere, necesse est gratiam in seipsa deficere. » S. Bonavent. *II Sent.* D. 26 q. 5 ad 5. (t. II p. 641).

Cf. Cajet. In II II. q. 24 a. 12 ; Suarez, l. c. n. 11.

3) **Formaliter,** quatenus est forma contraria formae justificanti.

Cf.Thes. IX, n. 46 sq.

127. — Scholion III. — Num gratia sanctificans minuatur ?

Hurter n. 219 ; Pesch VIII n. 93-96 ; Van der Meersch n. 218 ; Suarez l. 11 c. 8 ; Ripalda D. 130 ; S. Thomas II. II. q. 24 a. 10 ; I Sent. D. 17 q. 2 a. 5 ; *De Malo* q. 7 a. 2 ; St. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu* l. 4 c. 4.

Negant theologi communiter, paucis exceptis inter quos *Dionysius Carthusianus.* — Agitur de potentia Dei ordinata.

Distinguas diminutionem extrinsecam et intrinsecam.

1) **Diminutio extrinseca** multipliciter fieri potest :

Vel quatenus per peccata venialia minuitur fervor caritatis actualis.

Vel quatenus minuitur facilitas ad bonum, quia per frequentia venialia generantur habitus vitiosi.

Vel quatenus homo peccando venialiter meretur subtractionem auxiliorum specialium.

Vel quatenus peccata venialia ad mortale disponunt.

Patet talem diminutionem, improprie dictam, gratiae habitualis sicut et virtutum esse possibilem.

128. — 2) **Diminutio autem intrinseca,** i. e. ipsius entitatis gratiae, **admitti nequit. — Probatur :**

a) *Consensus theologorum.*

b) *Quia talis diminutionis causa assignari nequit :*

α) Non cessatio ab actibus virtutum : gratia enim et virtutes infusae sunt, ideoque earum esse non pendet ab actibus ut a causis.

β) Non actus vitiorum oppositorum, qui opponuntur virtutibus acquisitis tantum.

γ. Non actio Dei minuentis habitum infusum in poenam peccati, nam :

Peccatum veniale non opponitur gratiae.

Multiplicatis venialibus jam gratia omnino amitteretur :

Peccatum veniale foret mortale, quod est impossibile.

Neque dicas gratiam posse minui in infinitum, per partes proportionatas, sicut continuum. Etenim in hac hypothesi peccata aequalia punirentur inaequaliter, imo graviora minori poena plecterentur quam leviora.

Difficultates vide apud Mazzella, *De Virtutibus* n. 257.

Art. III. Justitiae conservatio.

Thes. XVIII. — Ut in gratia perseverent justi, requiritur ut Dei mandata, quae servare possunt ac debent, fideliter custodiant.

Hurter n. 220-225 ; Van der Meersch n. 224 ; Vega l. II c. I, 5-21.

129. — St. Q. Thesis haec rejicit quosdam **Novatorum errores.** Ex parte jam stabilita est in Tractatu de Gratia Actuali, thes. VIII, de perseverantia justorum, et thes. XXXVI, de gratia sufficiente omnibus data.

N. B. Impletio operum est conservationis gratiae **non causa sed conditio.**

Probatur :

1ª Pars : Praecepta justis possibilia sunt. — De fide.

Contra **Lutheran. et Jansen.** (Cf. De Gratia Act. n. 37, 38, 51).

1) *Docum. Eccl.*

Arausic. II. B. 200 (169).

Trident. VI, cap. 11 B. 804 (686) ; can. 18 B. 828 (710).

Jansen. prop. 1 B. 1092 (966).

2) *Scriptura.*

« Jugum enim meum suave est et onus meum leve. » Mat. XI 30.

« Omnia possum in eo qui me confortat. » Phil. IV, 13.

3) *Ratio Theol.*

Ad impossibile nemo tenetur.

130. — 2ª Pars : Justi mandata Dei servare debent. — De fide.

1) *Docum. Eccl.*

Trident. VI, cap. 11 B. 804 (686) ; can. 19, 20 B. 829 (711).

2) *Scriptura.*

« Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Mat. XIX, 16.

« Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est,ipse intrabit in regnum coelorum. » Mat. VII, 21.

« Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. » Mat. XXVIII, 20.

Vide, Mat. V, totum sermonem montanum.

« Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Joan. XIV, 21. Cf. XV, 10.

131. — N. B. Thesi opponi nequit discrimen inter **Legem Veterem et Novam.** Etenim ex hoc discrimine nullo modo sequitur justos Novae Legis ab omni praecepto esse solutos. « Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, A. S. » Trident. VI, can. 21 B. 831 (713).

Cf. Hurter n. 222 ; Prat, *St. Paul* I p. 228 sq., 252-254 ; II p. 143-151 ; 325-334.

132. — 3ª Pars : Observatio mandatorum necessaria est ad conservationem gratiae. — Doctr. cath.

1) Saltem praecepta quae obligant sub gravi ; nam omni peccato mortali gratia amittitur. Cf. Thes. XVII n. 124.

2) Etiam alia, quatenus peccata venialia disponunt ad mortalia. Cf. Schol. n. 127.

Art. IV. De justificationis cognoscibilitate.

Thes. XIX. — 1. Nemo, seclusa speciali revelatione, scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. 2. Hoc tamen scire potest certitudine morali tali, quae, practice, omne dubium prudens de opposito excludit.

133. — S. Thomas I. II, q. 112. a. 5 ; III D. 16 q. 1 a. 1 ad 5 ; IV D. 21 q. 2 a. 2 ; S. Bonavent. I D. 17 p.1, a. unic. q. 3 ; Alex Halens. *Summa* p.3 q. 71 M. 3 a. 1-3 ; Scotus,IV D. 1 q. 3; Bellarminus, *De justific.* l. 3 c. 11 n. 25-27 ; Becanus,*Summa* tract. IV, c. 3 q. 11 ; Vega, *De Justificatione* l. 9 ; Leibniz, *Syst. theol.* n. 22 ; Suarez *De Gratia* l. 9. c. 5-11 ; Vasquez I. II. D. 200 ; Habert, l. c. p. 426 sq. ; Hurter n. 216, 217 ; Pesch V n. 364-369 ; Van der Meersch. n. 190-206 ; Van Noort n. 154-158 ; Jungmann n. 306-317 ; Bellamy, *La vie surnaturelle* p. 274 sq ; Dr. Gaucher, *Le signe infaillible de l'état de grâce*, Rev. Cl. franç. 1906 t. 47 et 48 ; It. volumine 1907 ; Id. *La certitude théologique de l'état de grâce et le concile de Trente*, Etudes franciscaines 1910 ; Gellé, *La grâce à dix ans* p. 103 sq. ; Vallgornera, *Mystica theologia*, Appendix X. t. II p. 351 ; de la Reguera, *Praxis theol. myst.* t. I l. 8 q. 7.

St. Q.— 1) Distinguatur quaestio nostra a quaestione de cognoscibilitate perseverantiae finalis, quam vidimus in Tract. de Gratia Actuali n. 99.

2) Prima pars theseos ponitur contra **Lutheranos** qui docebant hominem justificari sola fide fiduciali, i. e. absoluta persuasione, quae unicuique obligatoria est, se esse justificatum. Quem errorem damnans, Conc. Trident. *definit* neminem talem certitudinem fidei habere *debere* et etiamsi quis illam haberet, eum non per illam justificari. Assertum ergo nostrum non directe definitum est ; invenitur in capite nono ad modum alicujus incisi, et defenditur ut **doctrina catholica.**

3) Sententia est **Catharini** fide privata homines posse credere se esse justificatos. — Et hanc sententiam rejicimus quatenus fides etiam privata includit certitudinem cui non potest subesse falsum et, juxta Catharinum, obtinetur sine revelatione speciali.

Cf. Schweizer : *Ambrosius Catharinus Politus* p. 159 sq. ; 188 sq. ; Hefner, *Entstehungsgeschichte...* p. 322 sq. ; Bellarmin. *De Justific.* l. 3 c. 3 ; Pallavicini, *Hist.* l. 8. c 12 n. 10 sq. ; Jungmann n. 307 ; Van der Meersch. n. 194 ; Pesch n. 369.

134. — Nuperrime **Dr. Gaucher** defendit possibilitatem certitudinis theologicae de statu gratiae. Quae sententia videtur minus probabilis, ob rationes n. 136 et 137 indicandas.

Nos admittimus certitudinem moralem veram, **sed practicam tantum.** Speculative haec certitudo non est nisi summa probabilitas, ideoque non excludit omne dubium prudens in ordine speculativo. Dubium vero speculative prudens tale est quod practice jure meritoque negligatur.

135. — Probatur :

1ª pars : Nulla certitudo fidei.

1) *Trident.* sess. VI cap. 9 B. 802 (684), can. 12-14 B. 822 (704) sq.

2) *Ratio theol.*

Ut aliqua propositio possit credi fide divina, debet esse revelata saltem implicite virtualiter ; atqui talis revelatio de facto justificationis nullius hominis habetur ; ergo... — N. B. Non loquimur de B. Virgine neque de casu revelationis specialis.

Diffic. Cf. Van der Meersch n. 198 ; Jungmann n. 313. — Argumentum Scripturae quod proponit Jungmann n. 308 non videtur esse demonstrativum.

136. — 2ª pars : Sed certitudo moralis vera, non speculativa, sed practica.

I) **In casu justificationis per Sacramentum.**

Certitudine excludenti omne dubium prudens, *homo scire potest se esse sufficienter dispositum* ad fructuosam sacramenti receptionem. (Cf. Van der Meersch n. 200) ; atqui sacramenta Novae Legis omnibus rite dispositis conferunt gratiam. De fide : Trident. VII, can. 5-8 B. 848 (730) sq.

N. B. In casu justificationis per sacramentum adest aliqua difficultas specialis : non semper habemus certitudinem sufficientem de intentione ministri.

137. — II) In casu justificationis per contritionem perfectam.

1) Doctrina catholica est, contritionem perfectam (cum voto sacramenti) peccatorem Deo reconciliare. (Trident. XIV cap. 4, can. 5 B. 898 (778), 915 (793)).

Atqui *non raro peccator certus esse potest se habere contritionem perfectam ;* ergo....

Ad min. : sicut certo scire possum me credere, ita eadem certitudine, ut videtur, scire possum me habere contritionem perfectam : eadem claritate sensus intimus utrumque actum apprehendit.

Sed actus contritionis non justificat nisi sit supernaturalis : **estne certum, Deum dare gratiam supernaturalem ad omnem actum contritionis perfectae ?** Speculative, non ; practice, affirmative.— Vide quae dicta sunt de gratia sufficiente omnibus data et de Axiomate : Facienti quod in se est..., De Gratia Act. n. 168 sq. ; 269 sq.

Confirmatur a) *ex Scriptura* Luc. X, 25-28 ; Joan. XIV, 23 ; I Cor. II, 9.

b) *Trident.* VI cap. 7 B. 799 (681) « Hanc dispositionem...

justificatio ipsa consequitur » ; atqui ultima dispositio est actus caritatis.

2) *Ex praxi fidelium.* Fideles qui ferventer ad sacram Communionem accedunt et sacerdotes qui quotidie missam celebrant, de facto et rationabiliter, excludunt omne dubium prudens de sua justificatione.

3) Confirmatur. *Dantur quaedam signa* ex quibus status gratiae cum magna probabilitate agnoscitur. — S. Thomas (I. II,q. 112 a. 5) haec indicat : « delectari in Deo et contemnere res mundanas », non esse conscium alicujus peccati.

Etiam S. August. « Ille placet Deo, cui placet Deus ». *(Enarr. in ps.* 32 v. 1 M. 36, 277. — « Et quis est qui placet Deo ? Cui placuerit Deus ». *In ps.* 122 v. 1 n. 3 M. 37, 1631).

Et corroboratur verbis Pauli : « Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae ; quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo ». II. Cor. I, 12.

De Merito.

PRAENOTANDA.

138. — I. Definitur meritum : opus in obsequium vel utilitatem alterius praestitum, dans aliquod jus ad retributionem. — In abstracto, est ipsa dignitas operis ad retributionem.

Est **de condigno**, quando valor operis moraliter proportionatus est praemio, ideoque merces debetur ex quadam justitia. (Cf. n. 149, 150).

Est **de congruo,** (fallibili vel infallibili, Cf. n. 178.) quando non adest proportio operis ad praemium, mercesque debetur tantum ex quadam aequitate.

« Dicitur aliquis mereri ex condigno, quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestimationem ; ex congruo autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis, munus tribuitur quod dantem decet. » (S. Thomas, II D. 27, q. 1 a. 3).

139. — Meritum distinguitur ab impetratione, satisfactione et dispositione. (Cf. De Gratia Actuali, n. 160, 161).

Impetratio stricte dicta est ipsa vis humilium precum, prout idonea est ad movendam superioris misericordiam. — « ... Oratio, praeter effectum spiritualis consolationis, quam praesentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, et virtutem impetrandi... » (S. Thomas, II. II q. 83, a. 15). — « Aliter nimirum movetur Deus a meritis, aliter a precibus fidelium... Motio scilicet Dei propter merita innititur justitiae vel cuidam aequitati ; motio vero propria impetrationis innititur misericordiae ejus qui oratur : supponitur quidem in eo, qui orat, exclusio alicujus positivi demeriti, quod tale sit ut valeat impedire exercitium misericordiae alterius, sed id supponitur tanquam conditio vel dispositio subjecti ; at non supponitur aliquod positivum meritum praeter id quod ipsi orationi intrinsecum est, est enim ipsa certe obsequium quoddam praestitum ei qui exoratur,at rursus hoc meritum ita se habet ut propter illud moveatur alter proprie quatenus misericors est et liberalis, non

quatenus justus est aut ex quadam aequitate ejus, sed quatenus libere ex sua insita bonitate sinit se flecti ob miseriam alterius : haec autem motio propria est impetrationis, qua misericordia flectitur et sic orationis proprium est impetrare. Ita pauper eleemosynam petens a divite obsequium quidem ei praestat, sed hoc obsequium ex intentione pauperis et acceptatione divitis eo spectat, ut hujus liberalitatem et misericordiam flectat et veluti ad actum determinet per ostensionem miseriae suae ; ita ut ratio cur dives flectatur sit quia *ex insita bonitate sinit se flecti* ad sublevandam miseriam pauperis, non propter aliquam exigentiam ejusdem... » (Palmieri, *De Gratia*, p. 281).

(Vide De Gratia Act. n. 161).

140. — Satisfactio est compensatio honoris laesi. Refertur ergo ad exstinguendum debitum, non ad consequendum praemium. Opus satisfactorium debet esse aliquo modo poenale. Unus idemque actus potest esse simul meritorius et satisfactorius.

Dispositio est realis habitudo subjecti, acquisita per actus morales, qua homo plus minus proxime idoneus constituitur ad aliquam formam recipiendam.

Est vel positiva, vel negativa. (De Grat. Act. n. 160 c.)

141. — II. Conspectus doctrinae.

Cap. I. Meriti existentia.	Thes. XX.
Cap. II. Meriti conditiones.	
Art. 1) Ad meritum de condigno	
§ 1 positive	Thes. XXI.
§ 2 negative	Thes. XXII.
Art. 2) Ad meritum de congruo.	
Cap. III. Meriti objectum.	Thes. XXIII.
Cap. IV. Meriti reviviscentia.	Thes. XXIV.

142. — III. Adjumenta quaedam (praeter ea quae p. 4-6 indicata sunt) :

S. Thomas I. II q. 114 ; II Sent. D. 27.
Suarez, *De Gratia* l. 12.
Vasquez, I. II. Disp. 213 sq.
Van der Meersch, n. 352 sq.
Hurter III n. 225-244.
Pesch V n. 381-433.
Wirceb. VII p. 467-492.
Jungmann, *De Gratia* n. 334-389.
Wilmers, *Lehrbuch der Religion*, t. IV p. 177-231.
Terrien, *La grâce et la gloire*, t. II p. 15-80.
Bellamy, *La vie surnaturelle*, p. 288-302.
Dublanchy, *Ascétisme*, DTC.
Janvier, *Carême* 1910, 6ème Conférence.
Quilliet, *congruo (de), condigno (de)*, DTC 1138 ss.

CAP. I. MERITI EXISTENTIA.

Thes. XX. — Homo potest apud Deum vere mereri, de condigno et de congruo.

143. — Quid sit meritum, etc. vide n. 138 sq.
Thesis ponitur contra **Protestantes.**
Probatur :
Pars I[a] : Homo potest apud Deum vere mereri. — De fide.
1) *Document. Eccl.*
Arausic. II. can. 18 B. 191 (161).
Lateran. IV. cap. 1 B. 430 (357).
Trident. VI. cap. 16 B. 809 (692) ; can. 26, 32 B. 836 (718), 842 (724).
2) *Script.* — Cf. Van Noort n. 190 ; Hurter n. 235,
Opera bona dicuntur ratio propter quam datur vita aeterna :
Mat. XXV, 21. 34 sq. ; II Cor. IV, 17.
Assignantur ut mensura cui respondebit gloria :
I Cor. III, 8; II Cor. IX, 6 ; Gal. VI, 8 ; Apoc. XXII, 12 ; Ps. LXI, 13 ; Matth. XVI, 27.
Vita aeterna dicitur bravium, corona, merces, retributio :
I Cor. IX, 24 ; Phil. III, 14 ; II Tim. IV, 6 ; Jac. I, 12 ; Apoc. II, 10 ; Mat. V, 12 ; Sap. V, 16 ; Eccli. XVIII, 22 ; Col. III, 24; Hebr. X, 35 ; XI, 6.
Retributio pro operibus exhibetur ut debita ex quadam justitia :
II Tim. IV, 8 ; Hebr. VI, 10.
Deus describitur ut judex justus :
Mat. XXV, 31 sq., ; II Cor. V, 10.

144. — 3) *Patres.*
S. Ignat. *Rom.* IV, ed. Funk I p. 217 ; *Polyc.* VI, 2, ibid. p. 251.
S. Justin. *Apol.* I, 43 M. 6, 392 sq.
S. Iren. *Cont. Haeres.* IV, 37, 7 M. 7, 1103.
S. Cyprian. *De Unit. Eccl.* 15 M. 4, 511.
S. August. *De mor. Eccl.* I, 25, 47 M. 32, 1331.
S. Cyprian. *De op. et eleem.* 14 M. 4, H. 1, 384.
S. Ambros. *De offic.* l. 1 c. 15 n. 57 M. 16, 40.
S. Gregor. Nyssen. *De Inst. christ.* M. 46, 305.
S. Cyrill. Alex. *In Is. 56, 3-5* M. 70, 1245 AB.
In Luc. 17, 7 M. 72, 836 sq.
In Joan. l. 9 M. 74, 125 ; l. 11, col. 489, 492, 529.
In I Cor. 7, 21 M. 74, 877 B.
Cf. Weigl, p. 266 sq.
S. Basil. Cf. Scholl *(Die Lehre des hl. Bas. von der Gnade)* p. 222 sq.
Vide v. g. *In Ps. 61* ad fin. M. 29, 481, 483.

Alios textus vide apud Atzberger, *Gesch. der christl. Eschatologie* (Herder 1896) p. 67 sq., 129 sq., 236 sq., 299 sq., 351 sq.

4) *Rationes theol.*

a) Datur judicium et praemium, ergo et meritum.

b) Analogia cum ordine naturali. — Cf. S. Thom. I. II. q. 114, a. 1.

145. — Pars II^a : Potest mereri de condigno. theol. cert.

1) *Ex modo loquendi Tridentini,* can. 32.

Tridentinum definit justos « vere mereri », quod de peccatoribus negatur ; atqui, ex communi theologorum consensu, peccator potest mereri de congruo ; ergo justus meretur de condigno.

2) *Ex Scriptura* (Cf. n. 143), operibus justorum proemium tribuitur sicut merces, a judice, servata justitiae forma, secundum proportionem operis (I Cor. III, 8).

« *Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* » (Hebr. VI, 10).

3) *Ex natura rei.* — Gratia sanctificans et opera gratiae se habent ad vitam aeternam sicut natura ejusque opera ad finem naturalem.

146. — Pars III^a : Et de congruo. — Communis.

Pesch n. 428.

1) *Ratio theologica.*

Ante justificationem dantur plura opera bona quae hanc aliquo modo merentur.

Trident. VI, cap. 6. Cf. Pallavicini, l. 8 c. 4 n. 4. (Contra : Medina I. II q. 114 a. 6 ; Cf. Suarez l. 12 c. 32 n. 1).— Atqui non merentur de condigno ; ergo de congruo.

2) *Consensus doctorum.* Cf. Suarez c. 32 n. 5 ; Pesch n. 428.

147. — Schol. I. — Undenam veniat meriti condignitas ?

Ripalda, D. 16, s. 9 sq. ; Suarez, l. 12, c. 17 sq. ; Schiffini n. 357 sq.

I Triplex sententia principalis :

1) **Durandus,** II D. 27 q. 2 n. 12 sq., non admittit nisi quoddam meritum de condigno large sumpto « pro quadam dignitate quam Deus ex ordinatione requirit in operibus nostris, ad hoc ut remunerentur vita aeterna »... Ratio est quia omnia quae habemus, sunt ex divina liberalitate gratis dante et conservante. Et quia ex dono gratuito nemo obligatur ad dandum amplius... Et dicere oppositum est temerarium seu blasphemum, propter quod si decedenti in gratia Deus non daret gloriam nihil injustum faceret. Et si habenti gloriam auferret eam, non esset injustus... »

2) **Scotus,** I D. 17 q. 2, admittit condignitatem tantum extrinsecam, ortam unice ex acceptatione divina. It. Occam (I Sent. D. 17. q. 1 et 2 ; II D. 26). Cf. Denifle-Paquier III, p. 196 sq.

3) **Sent. communior** : condignitas est intrinseca. Ejus principium explicant alii aliter :

a) Condignitas meriti provenit :

α) **Ex ipsius operis valore**, quatenus opus habet ex sese capacitatem merendi : meritum in actu primo.

β) **Ex ordinatione divina,** quae confert vim actualem merendi tale praemium : meritum in actu secundo.

Ita Lessius, *De perfect. div.* l. 13 c. 2 n. 13 ; de Lugo, *De Incarnat.* D. 3, s. 1. 2 ; Schiffini, *De Gratia* n. 359-363.

b) Sent. Scoto e diametro opposita : **tota condignitas venit a valore operis** : nulla requiritur divina ordinatio vel promissio.

Ita Cajetanus, I. II q. 114, a. 3 ; Vasquez, I. II D. 214 c. 4. (De Vasquezio vide tamen Schiffini n. 358).

c) Suarez, *De Gratia* l. 12 c. 17 et 18 (Cf. c. 30), tenet :

α) Ad meritum in actu primo requiri et valorem operis objectivum et ordinationem divinam.

β) Ad meritum in actu secundo **requiri insuper promissionem divinam**, qua deficiente, etiam data condignitate in actu primo, nondum habetur in Deo necessitas praemium largiendi.

148. — II Quid tenendum ?

1) Rejiciuntur sententiae Durandi et Scoti.

2) Certo condignitas meriti habetur etiam ex valore operis. Etenim :

a) Meritum de condigno facit merentem praemio dignum et remuneratur secundum justitiam et ad aequalitatem.

b) Ex intrinseca sua natura dicit aequalitatem secundum vim meritoriam ad vitam aeternam in ratione remunerationis consideratam.

c) Secus non intelligeretur cur, v. g. contritio perfecta peccatoris, cui venia promissa est, eam non mereatur de condigno ; vel cur actus bonus quilibet (supernaturalis aut etiam naturalis) non possit mereri quodlibet, etiam unionem hypostaticam.

3) Inter sententiam Lessii et Suarez tota quaestio haec est : num promissio praemii jam habeatur sufficienter in ordinatione divina ?

Quaestio solvetur ubi de conditionibus meriti, n° 165.

149. — Schol. II. — Quomodo, in merito de condigno, merces debeatur ex justitia ?

Suarez, l. 12, c. 30 ; Ripalda, D. 16, s. 11 et D. 83 ; Lessius, *De perf. div.* l. 13 c. 2 ; Schiffini, n. 359 sq. ; Vasquez, I. II D. 223 ; S. Bonavent. II, D. 27 a. 2 q. 3.

I. **In justitia consideranda sunt duo :** aequalitas servanda et obligatio eam servandi.

1) **Aequalitas servanda.** — Inter Deum et justum deficit personarum et jurium aequalitas ; in ipso merito multiplex praesupponitur gratia Dei. Tamen, supposita meriti hujus existentia, ei correspondet praemium secundum eam aequalitatem quae decet tantum principem etiam ultra meriti quantitatem remunerantem.

2) **Obligatio aequalitatem servandi.** — Patet Deum non posse ex rigorosa justitia obligari erga creaturam : obligatur tantum ex quadam rectitudine quae non potest non retribuere id quod meritum postulat. « Nam propria obligatio justitiae id cavet, ne injuria alteri fiat. Injuria autem non cernitur nisi inter eos, inter quos existere possit independentia dominiorum ; sic enim unice intelligi potest, *quempiam sibi usurpare quod suum non est, sed alterius*, in qua usurpatione sita est propria ratio injuriae... Atqui talis independentia inter Deum et creaturam existere nullatenus potest : nam dominium divinum est universalissimum et absolute inalienabile. Ergo, etiam posita promissione divina, si per impossibile Deus eam non servaret, foret quidem infidelis et seipsum negaret, injuriam tamen faceret nemini, siquidem minime usurparet quod suum non est, cum quicquid est creaturae, potiore jure ad ipsum Deum ut absolutum dominum pertineat... » (Schiffini, p. 622).

150. — II. Meritum igitur de condigno nititur in Dei justitia, prout haec Deo convenire potest. — Quo supposito, quaerunt theologi, **utrum justitia haec pertineat ad justitiam legalem, an ad distributivam vel ad commutativam ?**

Respondemus :

1) Pertinet ad commutativam, in quantum reddit tantum pro tanto.

2) Ad distributivam, quatenus Deus (Princeps) dat unicuique juxta meritum suum.

3) Ad legalem, seu melius ad providentialem, quatenus Deus dat Societati supernaturali omnia quae requiruntur ut finem attingere possit.

CAP. II. MERITI CONDITIONES.

Art. 1. Ad meritum de condigno.

§ 1. *Positive.*

Thes. XXI. — Ad meritum de condigno requiritur et sufficit : I. ex parte merentis, ut actus sit realis et liber, moraliter bonus et supernaturalis, justi, viatoris ; II. ex parte praemiantis, ut adsit ordinatio divina ad praemium determinatum.

151. — I. **Requiritur ut actus sit realis, non mere futuribilis.**

Theol. cert. contra Semipelagianos. — Cf. De Gratia Actuali n. 33. — Vide Ripalda D. 72.

Probatur.

1) *Arausic. II,* can. 5 B. 178 (148). *Trident.* VI c. 5 B. 797 (679), unde de fide est initium fidei et salutis esse gratuitum, non ex merito ; atqui damnatur ibi doctrina Semipelagianorum qui ideo negabant fidei gratuitatem quia actibus mere futuribilibus rationem meriti vindicari posse putabant.

2) *Ex Augustino aliisque Patribus,* hunc errorem ex professo damnantibus.

S. August. *De praedest. Sanct.* c. 12, n. 23, 24 M. 44, 977, 978.
De dono perseverantiae c. 9 n. 22 M. 45, 1005.
c. 12 n. 31, col. 1011.

3) *Script.* — Luc. X, 13 «... si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent...». — Sermo est de merito condicionate futuro, sed absque proemio, siquidem, ut ex versu sequenti apparet, idem judicium in has urbes futurum ac in Sodomam.

4) *Ratione.* — Praeter causam finalem, omnis alia, ideoque et causa efficiens moralis seu meritoria, supponitur secundum realem existentiam, saltem prioritate naturae suo effectui praeexistens. Atqui meritum futuribile nunquam realem existentiam habet.

152. N. B. **Communius** theologi tenent **actum realem debere esse positivum,** neque sufficere puram omissionem, quia : a) omissio voluntaria non videtur posse moraliter dari sine aliquo alio positivo actu voluntatis ; b) non potest ordinari ad Deum nisi per aliquam intentionem positivam.

Cf. Suar. l. 12, c. 2.

153. — II. Ut actus sit liber etiam a necessitate.

De fide, Contra Jansenistas. — Cf. De Gratia Actuali n. 50.

Suarez l. 12, c. 3 ; Ripalda D, 74 ; Bellarmin, *De Justific*, l. 5, c. 10, 11 ; Pesch n. 397 sq.

Probatur.

1) *Docum. Eccl.*

Prop. 3ª Jansenii damnata ut haeretica. B. 1094 (968).

Trident. VI. can. 4,5. B 814 (696) sq.

2) *Patres.* Cf. Bellarm. l. c. ; Pesch n. 397.

3) *Script.*

« ... Erit illi gloria aeterna : qui potuit transgredi, et non est trangressus, facere mala et non fecit. » (Eccli. XXXI, 10).

« Si volens hoc ago, mercedem habebo. » (I Cor. IX, 17).

Ergo Deus « revelavit nobis per Scripturas suas sanctas esse in homine liberum arbitrium... Quia ipsa divina praecepta homini non prodessent,nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret. » (S. August. *De Gratia et lib. arb.* c. 2 n. 2 M. 44, 882).

4) *Theologi.* — Cf. S. Thom. III, q. 18 a. 4, ad 1um ; *De Verit.* q. 29 a. 6 ad 1um ; *De malo*, q. 6 a. unic. ; I q. 22 a. 2 ad 5um ; I. II. q. 21 a. 4 ad 2um.

5) *Ratio.* — Ut mereatur, homo debet dare de suo. Cf. Van der Meersch n. 367 ; S. Thomas, *De Verit.* l. c.

Vide De Gratia Actuali, thes. V.

154. — N. B. 1) Sufficit libertas sive exercitii, sive specificationis.

a) Libertas exercitii ; etenim qui agit quod potest non agere, est domi

nus actus sui. Hinc etiam confirmatio in gratia non impedit meritum. Cf. Suar. l. c. n. 9.

b) Libertas specificationis, saltem inter actus inaequalis valoris in ratione moralitatis. Cf. Pesch n. 399.

155.— 2) Fuerunt quidam qui existimarunt **actum omnino necessarium posse esse meritorium de potentia Dei absoluta.** Ita Major, III, D. 18 q. 1 ; Gabriel, ibid. art. 1. not. 5 ; Holchot, q. 1. a. 4. Cf. Salmanticenses, Tract. 16 D. 1, Dub. 2 § 2.

Verum est Deum posse « statuere dare alicui gloriam, aut tale, vel tale praemium, posito tali actu necessario. Tunc vero praedictus actus non haberet rationem meriti, sed nudae conditionis, qua posita ponitur quod sub illa promittitur. Unde nec gloria, aut illud aliud proemium haberet in hoc casu propriam rationem proemii, sed omnino gratuiti beneficii ; nec ejus redditio esset remuneratio, quae fieret aliquo modo ex justitia, sed liberalis donatio ex liberalitate, et fidelitate promittentis. » (Salmant. l. c.).

Quoad difficultatem ex **actibus meritoriis Christi,** vide Tractatum de Verbo Incarnato.

156. — III. Moraliter bonus. — De fide.

Probatur.

1) *Trident.* VI. Cap. 16 B 809 (692).

2) *Script.*

« Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. » I Cor. XV, 58.

« Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum » etc. Cfr. I Tim. VI, 17, 18 ; II Petr. I, 10.

3) *Patres* omnes.

4) *Ratio theol.* — Actus mali poena digni sunt, indifferentes non dantur, et si darentur non essent praemio digni, utpote nihil ad obsequium Dei ejusque gloriam libere conferentes.

157. — **N. B.** Si qua militia, etiam levis, afficeret totum actum, meritum tolleret, quia actus jam non esset bonus : **malum ex quocumque defectu.** — Contra, Ripalda, D. 50 et 75.

Si vero malitia non afficit totum actum, sed potius eum comitatur, non tollit meritum : tunc enim adsunt duo actus, duae intentiones. Cf. Suar. l. 12 c. 4.

S. Thomas II D. 38 q. 1 a. 4 ad 4um.

158. — IV. Supernaturalis. — Doctr. cath.

Probatur factum ; modus explicabitur in Scholio n. 168.

1) *Arausic.* II. can. 18 B. 191 (161) ; *Trident.* VI, can. 2 B. 812 (694).

2) *Ratio.* Solus actus supernaturalis est proportionatus mercedi super-

naturali ; atqui actus meritorius de condigno debet esse mercedi supernaturali proportionatus.

Cf. S. Thom. I. II. q. 114, a. 2.

159. — V. Requiritur status gratiae.

Doctrina catholica, contra Baium, (Cf. De Grat. Act. n. 47), qui putans dona supernaturalia esse debita naturae innocenti, et effectum gratiae esse tantum restituere naturae corruptae ethicam illam rectitudinem quam per peccatum originale amiserat, omnem valorem novum operibus ex gratia factis denegavit.

Cf. Le Bachelet *Baius*, DTC 74-79 ; Jungmann, *De Gratia* n. 363.

Probatur.

1) *Trident.* VI. cap. 16 B. 809 (692) ; can. 32 B. 842 (724).

Damnat. Baii prop. 1-9 ; 11-13 ; 15, 17, 18 ; 62, 63, B. 1001 (881), sq.

2) *Script. :* Joan. XV, 4 ; Rom. VIII, 17 sq.

3) *Patres* diserte docent ante gratiam non dari verum meritum ; plerumque vero inter gratiam actualem et habitualem non distinguunt. Vide tamen :

S. August. *De Sp. et litt.* n. 5 M. 44, 203.

S. Prosper., *Contra object. Gall.* obj. 6 M. 45, 1836.

Alios textus indicat Suarez, l. 12 c. 14 et 24.

4) *Rationes theol.*

a) Secus, idem esset dignus simul coelo et inferno.

b) Sola gratia justificans aequalitatem quamdam tribuit operi ad proemium.

160. — VI. Requiritur status viatoris. (De lege ordinaria.)

Cf. Suarez, *De Gratia*, l. 12 c. 15 ; *De Angelis*, l. 6 c. 4 n. 9 sq. ; Ripalda, D. 77 ; Van der Meersch n. 341-365 ; Salmant. D. I dub. 4 ; Vasquez I. II. D. 216, c. 4.

Praenot. — Probatur in tractatu de Novissimis : 1. infernum et beatudinem esse aeterna ; 2. finem vitae esse finem viae. **De fide** est, neminem post mortem posse mereri beatitudinem essentialem ; **theol. cert.** est, in inferno nullum esse meritum de condigno (siquidem ibi nullus datur actus salutaris) ; **certum** est etiam in caelo et in purgatorio nullum esse meritum de condigno. — Adversarios vide in tract. de Novissimis.

Probatur.

1) *Scriptura*, multis in locis.

Cf. Eccl. IX, 5. 10 ; XI, 3 ; Eccli. XIV, 17 ; XVIII, 22.

Joan. IX, 4 ; Galat. VI, 8 ; etc.

2) *Patres.*

S. Cyprianus, *Epist. 55* n. 29, Hartel II p. 647.

S. Epiphanius, *Haeres. 59*, X M. 41, 1034 C.

S. Fulgentius, *De remiss. peccat.* l. 1 c. 24 M. 65, 547.

S. Gregor. Nazianz. *Oratio 40* n. 24 M. 35, 391.

S. Joan. Chrysost. *In Mat. hom. 36* n. 3 M. 57, 416.

De Lazaro, hom. 2. M. 48, 985.
Ad. Theodor. 1, 9 M. 47, 287.
S. Basilius, *Moral. Reg. I*, c. 2 et 5 M. 31, 700, 701, 703.
Reg. fusius tract. Prooem. n. 1 M. 31, 892.
Cf. Scholl. p. 228, 229.
Cf. S. Thomas I q. 62, a. 9 ad. 3um ; II. II q. 13 a. 4 ad 2um.
Schema Vatican., Collect. Lacens. t. VII, col. 564, 567, 517.

3) *Rationes theol.*
a) Aeternitas inferni et beatitudinis.
b) Decisivum est instans mortis : haec est fides manifesta Ecclesiae.
c) Sic habetur modo convenienti vitae praesentis sanctio.

161. — **N. B.** 1) Dicimus statum viae requiri **de lege ordinaria.** Etenim ultima ratio cur finis vitae sit finis viae est lex Dei positiva ; neque repugnat intrinsece et comprehensorem mereri per actus liberos. Cf. Salmant. l. c. § 1 n. 31 ; Vasquez l. c.

162. — 2) **Elias et Enoch,** etiam dato quod vitam adhuc degant in carne mortali (Cf. De Novissimis), probabiliter, quoad meritum, jam non sunt in statu viae. Ita Suarez, l. c. n. 8-11 ; Vasquez, l. c. n. 36-39. — Contra, Salmant. dub. 5um, et alios.

163. — VII. Ordinatio divina ad praemium determinatum.

Cf. Suarez, c. 17 sq. ; Vasquez, D. 214 ; Salmant. D. 1 dub. 6 ; Gotti, tract. 8 q. 2 dub. 5 ; Ripalda, D. 82 ; S. Thomas I. II, q. 114 a. 1 ; Jungmann n. 371 ; Van der Meersch n. 360 ; Hurter n. 232 ; Pesch n. 386 ; Billuart D. 8 a. 1, 6^{a} conditio.

Praenot. — Controversiam de hac propositione inter theologos vigentem jam indicavimus Schol. n. 148.

Seligimus sententiam Lessii, Lugonis etc. ut **probabiliorem.**

1) **Probatur factum.**

a) *Trident.* VI cap. 16 B. 809 (692) « ...tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda... »

Concil. Senonense (an. 1528), Decret. fid. c. 16, Mansi 32, 1177 E. « Eos autem qui a dextris erunt, commendabit (dominus) non tam a fide, quam a bonis operibus : opera enim illorum sequuntur illos. Talibus siquidem hostiis promeretur Deus facietque tandem omnis misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem *(neque enim condignae sunt passiones hujus saeculi ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis),* sed gratuita magis et liberali promissione : qua, conventione facta de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam... »

Concil. Moguntinum (an. 1549) c. 8, Mansi 32, 1406 E. — « Ea vero, quae justificati jam, membra sua exhibentes arma justitiae in sanctificationem, fide per dilectionem operante, fecerint opera : tum quia Deus bene operan-

tibus et in ipso sperantibus mercedem misericorditer promisit : tum etiam quia ejusmodi justificatorum opera gratiae Dei effectus sunt, et movente et adjuvante Spiritu Sancto fiunt : vere bona, et Deo grata, ac remuneratione vitae aeternae digna esse ».

b) *Script.* — Affirmat ideo certam esse mercedem, quia certantibus, currentibus, promissa.

Cf. Mat. XX, 2 ; I Cor. IX, 24 ; Hebr. VI, 12 ; X, 38.

c) *Patres.*

S. August. *Sermo 158,* c. 2 n. 2 M. 38, 863.
Enarr. in psalm. 83 n. 16 M. 37, 1067. 1068.
Epist. 105 (al. 194) c. 5 M. 33, 880. 881.

164. — d) *Ratione theol.*

α) Objectiva propositio non sufficit ad meritum actuale, nisi existat praevia ordinatio aut conventio saltem implicita. Sic, v. g. pugna aut cursus in stadio citra occasionem certaminis, labor in vinea sine acceptatione Domini, remunerationem non obtinent. Cf. Suarez, c. 17 n. 16.

β) « Quamvis inter merita Christi et redemptionem *daemonum,* inter bona opera *Angelorum, beatorum et animarum purgantium* ac praemium, sive essentiale, sive saltem accidentale, intercedat condignitas, vel alia proportio, tamen non fuerunt, aut sunt, actuale et efficax meritum hujus praemii ; idque vel defectu acceptionis divinae, vel defectu status viae, quae conditio ex libera Dei ordinatione habetur ; ergo... ». (Wirceb. n. 436, pars III).

N. B. Potest admitti **gratiam sanctificantem per se exigere visionem intuitivam,** quin ipso facto admittatur actum justi esse meritorium sine ordinatione divina.

165. — 2) **Modus explicatur.**

a) De facto, in oeconomia actuali salutis, promissio retributionis et ordinatio meriti condigni ad praemium nunquam separantur.

b) Sed theoretice et de potentia absoluta, possetne dari ordinatio hujusmodi absque illa promissione ? Videtur dicendum ipsam ordinationem **probabilius** esse etiam promissionem, saltem implicitam, quando agitur de ordinatione ad meritum condignum.

c) Hinc, contra Suarez, tenemus praeter ordinationem divinam non requiri promissionem Dei explicitam.

Scholia.

166. — **I. Num major gratia habitualis augeat meritum actus ?**

Affirmative respondent communius doctores. — Ita Suarez, l. 12 c. 22 ; Ripalda, D. 81 ; de Lugo, *De Incarnat.* D. 6 s. 2 n. 37. — Contra, Vasquez, III D. 6 c. 4 ; Zumel, Medina.

167. — **II.** Videntur opera nostra **majorem valorem inde recipere,**

quod gratiam habeamus a Christo et agamus ut membra Christi ex ejus influxu tanquam capitis.

Probatur :

1) Ex unione cum Christo ut capite redundat in justos dignitas peculiaris, vi cujus Deo placent etiam ut fratres Christi ; ideoque in justis Deus Christum ipsum amat.

2) Promissio Dei non gratis omnino facta est nobis, sed propter merita Christi, quae ex rigore justitiae talem mercedem merentur.

3) Opera nostra, quia a Christo offeruntur Patri, a Patre libentius acceptantur.

Cf. Suarez l. 7 c. 5 n. 9; l. 12 c. 19; Pesch n. 418; Labauche p. 318, 319; Schiffini n. 389; Trident. VI cap. 16 B. 809 (692); XIV cap. 8 B. 904 (782).

168. — III. Explicatur supernaturalitas ad meritum de condigno requisita.

Cf. Pesch n. 401-411 ; Wilmers, *Lehrbuch der Religion*, t. 4 p. 184-192; 210-226 ; Gutberlet-Heinrich, *Dogmatische Theologie*, t. 8 p. 665-683 ; Van der Meersch, n. 371-379.

1) **Probabiliter gratia habitualis non sufficit,** sed requiritur etiam in justo gratia actualis. (Cf. De Gratia Actuali, thes. IX.) Contra Van der Meersch, n. 371, et alios.

2) **Probabiliter non requiritur objectum formale supernaturale.** (Cf. De Gratia Act. thes. XVII).

3) **Requirituine motivum per fidem propositum ?**

Alii aliter. — Videtur respondendum : Sufficit in justo motivum naturaliter honestum, quod explicite et directe influat in actum ejusque intentionem. Neque ideo deficiet intentio supernaturalis : data enim ordinatione habituali justi ad finem supernaturalem per actum praecedentem non revocatum, quaelibet intentio honesta erit ex fide implicite et indirecte, et sic tendet ad finem ultimum supernaturalem.

Hoc ad minimum requirunt documenta.

Trident. VI, cap. 10 B. 803 (685) « cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur. »

S. August. « Neminem recte vivere nisi ex fide. » (*Cont. Jul.* l. 4, c. 3 n. 14, 19 M. 44, 743. 748.)

Cf. *Enarr. 2 in ps. 31* n. 4 sq. M. 36, 259 sq.

S. Prosper, *Carmen de ingratis* v. 406 sq. M. 51, 117.

S. Leo M. *Sermo 45*, de Quadrag. 7, c. 3 M. 54, 290.

S. Gregor. M. *Homil. 13 in Evang.* n. 12 M. 76, 1124.

S. Thomas I. II,q. 72, a. 5 ; q. 89, a. 6 ; q. 2, a 3 ; II. II,q. 10 a. 4 ad 2um. I. II, q. 63, a. 4.

Cf. Van der Meersch, n. 375.

§ 2. *Negative.*

Thes. XXII — Potest autem actus esse meritorius de condigno, etiamsi non sit vel difficilis, vel supererogatorius, vel a caritate elicitus aut imperatus.

169. — I. Non requiritur ut actus sit difficilis. — Certum.

Hurter n. 227, 2 ; Schiffini n. 387 ; De Smedt, *Notre vie surnaturelle*, I p. 79-86.

1) Distinguatur difficultas objectiva operis et difficultas subjectiva, quae duplex est : una, improprie dicta, stat in majori intensitate volitionis ; altera proveniens ex languore et tarditate voluntatis.

2) Per se, difficultas, quaecumque sit, non est principium meriti, quia, per se, non est de ratione boni.

3) **Difficultas operis objectiva et difficultas subjectiva prior** (major intensitas volitionis) **augent meritum** quatenus majorem volitionis perfectionem supponunt et majorem finis amorem. — Sic, dare centum francos, ceteris paribus, magis meritorium est quam dare unum, subire martyrium magis quam tolerare leve incommodum.

4) **Difficultas vero quae non est nisi effectus voluntatis languidae minuit meritum.**

« Aliquid potest dici difficile dupliciter : vel ex arduitate operis ; et sic virtus intelligitur circa difficile esse, quod scilicet in se difficile est et arduum : vel ex imperfectione operantis ; et sic virtus circa difficile non est, sed talem difficultatem virtus tollit ; quanto enim aliquis virtuosior est, tanto facilius opera virtutis exercet. Nec tamen dicendum est, quod quanto virtuosior sit, minus mereatur. » S. Thomas, II D. 29 q. 1, a. 4 ad 3. — Cf. I II. q. 114, a. 4 ad 2 ; *De Veritate* q. 14 a. 10 ad 12 ; *De Malo* q. 3 a. 11.

N. B. Difficultas et dolor habent valorem satisfactorium. Cf. Dublanchy, *Ascétisme*, DTC.

170. — II. Neque ut sit supererogatorius. — Doctr. cath.

Hurter n. 227, 1 ; Pesch n. 412 ; Suarez l. 12 c. 5.

Haec pars ponitur *contra Dionysium Cisterciensem*, qui docuit tantum opera bona quae sponte sua homo facit, sine obligatione praecepti, esse meritoria. Cf. III q. 2 a. 3 ; q. 3, a. 2, concl. 8.

Haec sententia est contra manifestam doctrinam Scripturae, quae mercedem promittit : persecutiones patienter ferentibus (Mat. V, 12), diligentibus inimicos (Luc. VI, 35), perseverantibus in fide (II Tim. IV, 7), observantibus mandata : « *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* » (Mat. XIX, 17).

Ideoque Suarez (l. c. n. 2) Dionysii sententiam existimat erroneam ; et Trident. VI cap. 16, B. 809 (691) docet : « nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam

suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur... »

Imo jure Suarez, l. c. n. 4, scribit : « Quin potius, hinc videtur concludi, opus praeceptum, caeteris paribus magis esse meritorium, quam non praeceptum, ac proinde praeceptum, per se loquendo, conferre ad meriti augmentum. Probatur, quia opus praeceptum, ceteris paribus, melius est, quia addit circumstantiam obedientiae formalis, seu virtualis, quae bonitatem auget, ergo et meritum. Item opus factum ex voto, ceteris paribus, magis meritorium est... »

171. — III. Neque ut sit ex caritate elicitus — (certum) —, aut imperatus — (probabilius).

Wirceb. VIII n. 305 sq. ; Hurter n. 227, 3 ; 229, 230 ; Van der Meersch, n. 371 sq. ; Wilmers, *Lehrb.* t. 4 p. 192-194; Van Noort n. 211 sq. ; Salmanticenses, D. 4 ; Suarez, c. 8 sq. ; del Val, n. 133 ; Vasquez, D. 217 ; Ernst : *Über die Notwendigkeit der guten Meinung* p. 89-129 ; Müllendorff, *Zeitschrift* t. 9 p. 432 sq.

Vide De Gratia Actuali, n. 106-108.

Ponitur contra multos :

Quesnel : docuit Deum non remunerare nisi charitatem. Cf. prop. 45-59 B. 1395 (1260) sq.

Bañez : ad meritum gloriae accidentalis requiritur ut actus a caritate eliciatur. Cf. II. II. q. 24 a. 6 dub. 5.

Thomistae multi, Bellarmin (*De Justific.* V, 15), et alii tenent requiri imperium caritatis, i. e. ut motivum caritatis influat saltem virtualiter.

172. — Sed hae sententiae omnes rejiciuntur, quia :

1) *Scriptura* promittit praemium etiam actibus aliarum virtutum. Cf. Mat. XIX, 16 ; XXV, 34 ; I Tim. VI, 17 etc.

2) *Trident.* VI cap. 16 B. 810 (692) ; can. 26 B. 836 (718) et 32 B. 842 (724) docet justos bonis operibus in Deo, i. e. in gratia (Wirceb., p. 274) factis, mereri vitam aeternam.

3) Omnis actus a justo factus, moraliter bonus et supernaturalis, praemio proportionatus est et in obsequium Dei ordinatus, tum relatione ipsius operis ex motivo virtutis ipsi proprio, tum simul relatione habituali operantis ad Deum finem ultimum. Cf. S. Thomas II D. 40 q. 1 a. 5 ad 3um et 6um.

Quam doctrinam praeclare illustrat Suarez, l. 12 c. 9 n. 5. « ...omnia quae procedunt a Deo ad eumdem redeunt, tanquam ad ultimum finem, naturali pondere et inclinatione naturae : ergo quae procedunt a Deo, ut auctore supernaturali, ordinantur ad ipsum ut supernaturalem finem, intrinseca et naturali ordinatione, nam ultimus finis semper proportionatur primo principio. Unde in superioribus dicebamus quod, sicut natura intellectualis per se tendit in Deum ut naturalem finem, quia ab illo ut prima causa naturali procedit, ita gratia sanctificans natura sua tendit in Deum finem supernaturalem. Unde etiam diximus actum acquisitum virtu-

tis moralis natura sua referri ad Deum, ut naturalem finem ultimum, ideoque esse posse simpliciter bonum sine alia relatione quam illi operans adjiciat : ergo simili modo, et servata proportione, actus supernaturalis, per se et natura sua, tendit in Deum finem supernaturalem,etiamsi ab operante per alium peculiarem actum non referatur... »

173. — Scholion I. — Omnis actus supernaturalis justi meritorius est. Dicendum est hominem existentem in gratia, prius etiam quam actum charitatis formalem eliciat, mereri per omnes suos actus moraliter bonos vitam aeternam de condigno, ideoque pro nullo casu admittendum esse in illo actum bonum qui meritorius non sit... » Salmant. D. 4, dub. 6, § 1.

Et Vasquez (I. II. D. 217 n. 9): « Mihi vero non solum multo probabilius, verum etiam sacris litteris, Conciliis et doctrinae Patrum magis consentaneum semper visum est, quodlibet opus hominis justi bonum et secundum virtutem moralem, meritorium esse vitae aeternae,ac proinde, licet ex sententia Bonaventurae,quam D. 52 c. 3, ut probabiliorem secutus sum, in homine justo sint actiones neutrae et indifferentes inter bonas et malas, tamen, ex his quae bonae sunt in eodem homine justo, nullam esse mediam inter meritum vitae aeternae et aeternae poenae. »

Eadem est doctrina S. Thomae : « Habentibus caritatem omnis actus est meritorius vel demeritorius. » *De malo* q. 2,a. 5, ad 7um. Cf. II D. 40 q. 1 in corp. et ad 3um.

Cf. Terrien II p. 26-38 ; S. François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, l. 12 ch. 8.

174. — Schol. II. — E triplici fonte meriti augmentum pendet : « Cum meritum non consistat in habitu, sed in actu, nec in actu quolibet, sed in eo qui per habitum gratiae informatur, actus autem omnis meritorius ex voluntate procedat : oportet quod meritum aliquid habeat a gratia, et aliquid a voluntate, et aliquid etiam ab objecto actus, unde species actus trahitur. Et ideo ex his tribus efficacia merendi mensurari potest : ex gratia, voluntate et objecto. » S. Thomas, II D. 29 q. 1 a. 4.

Cf. Schiffini, n. 385.

175. — Schol. III. — An actus externus habeat proprium meritum distinctum a merito voluntatis ?

Suarez, l. 12 c. 6 ; de Lugo, *De Paenit.* D. 24, s. 6 ; Ripalda, D. 68 et append. ad D. 74 ; Gutberlet-Heinrich,p. 665-670; Hurter n. 228 ; Schiffini, n. 388 ; Van der Meersch, n. 370, 3.

1) Affirmative respondet Ripalda, l. c. ; sed **communius negatur,** quia tota bonitas moralis actus derivatur in actum externum ex bonitate actus interni voluntatis. — Argumenta Ripaldae vide, Appendix l. c. n. 70.

2) Quatenus vero confert ad augmentum bonitatis internae, actus externus **per accidens auget meritum.**

« Quod quidem videtur posse contingere tripliciter : uno modo secun-

dum numerum, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo, et tunc quidem non facit, postmodum autem vult et facit; duplicatur actus voluntatis, et sic fit duplex bonum vel duplex malum. Alio modo quantum ad extensionem : puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo ; et propter aliquod impedimentum desistit ; alius autem continuat motum voluntatis, quousque opus perficiat, manifestum est quod hujusmodi voluntas est diuturnior in bono vel malo ; et secundum hoc est pejor vel melior. Tertio secundum intensionem ; sunt enim quidam actus exteriores qui in quantum sunt delectabiles vel poenosi, nati sunt intendere voluntatem vel remittere. Constat autem quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel pejor ». S. Thomas, I. II. q. 20, a. 4.

Cf. II. II. q. 182 a. 2 ad 1^{mm} ; II D. 40 q. 1 a. 3 ; *De malo* q. 2 a. 2 ad 8um.

Hinc, augendo actuum internorum numerum, intensitatem vel durationem, actus externus et meritum auget.

176. — N. B. — Quod de merito controversum est, **certum videtur de satisfactione :** valor satisfactorius augetur per actum externum, ita ut plus poenae remittatur jejunanti, ceteris paribus, quam illi qui tantum vult **jejunare. Cf. de Lugo, l. c. sect. 4.**

Art 2. Ad meritum de congruo.

177. — Scholion. — Quaenam conditiones requirantur et sufficiant ad meritum de congruo ?

Schiffini, n. 384 ; Hurter, n. 234 ; Van Noort, n. 215 ; Van der Meersch, n. 381 ; Suarez, l. 12 D. 32-36.

I. Certa videntur haec :

1) Datur meritum de congruo. Cf. n. 146.

2) Ad meritum de congruo requiritur ut actus sit :

a) *realis et liber.*

b) *moraliter bonus*, si agitur de praemio supernaturali.

« Si meritum referatur ad praemium temporale, aliqui putant nonesse hanc conditionem necessariam ad meritum de congruo... » Cf. Suarez c.33, n. 5, 6, 7.

c) *supernaturalis*, si referatur ad praemium supernaturale, non vero ubi agitur de merito praemii temporalis. (Suarez, l. c. n. 8-10).

d) *ordinatio divina.* « Propria igitur ratio, quamobrem haec divina ordinatio in quovis merito est necessaria, ea est quam ex S. Thoma (I. II. q. 114, a. 1) assignavimus, quod nempe modus et mensura humanae virtutis homini est a Deo... sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus et operationes, ad quod a Deo sunt ordinatae ». (Schiff. l. c. III).

N. B. — Sunt tamen quidam doctores (Scotus, Durandus et omnes Nominales) qui contendunt hominem per attritionem mere naturalem posse

mereri de congruo primam gratiam justificantem. Cf. Medina I. II. q. 109, a. 6, concl. 4ª. — Hanc sententiam rejecimus in Tract. De Gratia Actuali n. 162-165.

178. — II. Controversa sunt haec :

1) **Utrum requiratur status viae?** — Affirmative, **communius.** Attamen non pauci contradicunt :

a) S. Thomas, II D. 5 q. 2 a. 2, in corp. et ad 2um et 4um ; S. Bonaventura, II D. 5 a. 3 q. 2, ad 2um, loquendo de Angelis ; Gabriel, Vasquez I. II. D. 216 n. 31, et alii tenent beatos mereri sibi et aliis praemia quaedam accidentalia.

b) Idem tenent de animabus purgantibus : S. Thomas, IV D. 21 Q. 1 a. 3 q. 1 ad 4um ; D. Soto IV D. 5 q. 1 a. 2 et alii.

Cf. Ripalda D. 77 s. 1 et 4.

2) **Utrum requiratur status gratiae ?** — Negative, **communius.** Contradicunt : D. Soto, *De Nat. et gratia* l. 2 c. 4 ; Medina I. II. q. 21 a. 4 dub. 2, et q. 109 a. 6 dub. 3. — Cf. Suarez c. 34, n. 1.

3) **Utrum detur meritum congruum fallibile et infallibile ? — Communius** affirmative, quia contritio perfecta meretur de congruo, sed infallibiter propter promissionem divinam, gratiam justificantem.

Negant tamen alii, inter quos, recentius, Van der Meersch n. 382.

Cap. III. De meriti objecto.

Thes. XXIII. — I. Gratiam actualem primam nemo meretur, neque de condigno, neque de congruo. II. Augmentum gratiae habitualis gloriamque coelestem accidentalem et essentialem, secundam et primam, justus meretur de condigno. III De congruo autem infallibili primam gratiam habitualem meretur peccator rite dispositus. IV. Gratia vero efficax qua talis, necnon et perseverantia finalis, reparatio post lapsum, et gratiae actuales sunt objectum meriti de congruo fallibili tantum.

Suarez, l. 12, c. 24-32 ; Vasquez I. II, D. 217-219 ; Ripalda, D. 76-95 ; Pesch n. 419-433 ; Hurter, n. 238 ; Jungmann, n. 375-389 ; Van Noort, n. 216 sq. ; Van der Meersch n. 383-393 ; Wirceb. n. 450.

179. — I. — Primam gratiam actualem nemo meretur neque de condigno, neque de congruo. — **De fide,** contra Semipelagianos. — Cf. De Gratia Act. n. 164 ; Palmieri, De Grat. Act. p. 333-335.

Vide argumenta, De Gratia Act., n. 164 praesertim.

Arausic. II can. 5, 7 B. 178 (148) sq. ; Trident. VI cap. 5 B. 797 (679).

180. — II. — 1) Augmentum gratiae habitualis, de condigno.

Suarez, c. 25 ; Wirceb. n. 452 ; Pesch, n. 423.

a) Trident. VI, cap. 10 B. 803 (685) ; can. 24, 32 B. 834 (716). 842 (724).

Unde **de fide** est justos vere mereri augmentum gratiae, et **theol. cert.** hoc meritum esse de condigno.

b) adsunt omnes conditiones requisitae. (Cf. n. 151 ss.).

c) Ratio, ex S. Thoma, I. II. q. 114 a. 8 : « Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem actus gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis vel gratiae, secundum illud Prov. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*, qui est dies gloriae.. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni. » —

Quid de actibus remissionibus, Cf. Schol. II, n. 195.

181. — 2) It. gloriam coelestem.

Suarez, c. 28, 29 ; Ripalda, D. 89 ; Pesch, n. 421-423.

Praenot. — Distinguere oportet gloriam in essentialem, quae est visio intuitiva, et accidentalem, quae per quaecumque alia dona, gloriae substantiali superaddita, constituitur. Praeterea, per proportionem ad gratiam, gloria essentialis in primam et secundam distinguenda est. Prima gloria vocatur, ad quam ex vi primae gratiae homo acceptatur ; gloria autem secunda dicitur quodlibet gloriae augmentum, quod etiam augmento gratiae respondet.

Inter doctores catholicos viget **controversia de gloria essentiali prima** : utrum justus illam mereatur ?

Negant : Vega, *Opusc. de Justific.* q. 6 ad 9 ; Lorca I. II. q. 214 a. 5 D. 49 ; Ripalda, D. 89 ; de Lugo, *De Incarnat.* D. 6, s 3, quia prima gloria debetur primae gratiae sanctificanti ut hereditas, etiam antequam justus operetur, et nullus actus justificationem praecedens meritorius est vitae aeternae.

Communius vero admittitur justum mereri de condigno etiam gloriam primam. — Hinc, defendimus ut :

de fide justum mereri gloriam coelestem secundam vere ;
theol. cert. » » » » de condigno ;
probabilius » » etiam gloriam primam ;
theol. cert. » » de condigno etiam gloriam accidentalem.

182. — A. — Gloria secunda.

a) Hoc saltem definivit Trident. can. 32.

b) Adsunt omnes conditiones requisitae.

c) Scriptura et Patres gloriam coelestem promittunt tanquam mercedem et coronam. Cf. thes. XX, n. 143.

183. — B. — Etiam gloria prima.

Ita Suarez c. 28 ; Vasquez, D. 219 ; Pesch n. 421, et Thomistae communiter.

a) Tridentinum inter gloriam primam et secundam non distinguit. Cf. cap. 16 B. 809 (692), imo explicite dicit, can. 32, justos mereri « *vitam aeternam et ipsius vitae aeternae... consecutionem, atque etiam gloriae augmentum* ».

b) Neque Scriptura et Patres distinguunt. Cf. Wirceb. n. 454, p. 488.

c) Ad praecipuum argumentum adversariorum responderi potest sic : in eodem actu contritionis aut caritatis possumus distinguere duo instantia naturae. In priori nondum adest gratia sanctificans, actus est solum ultima dispositio ad justificationem ; in posteriori jam adest gratia, et idem actus gratia informatur. — Ad rem S. Thomas (I. II. q. 112, a. 2 ad 1um): « Ad primum ergo dicendum quod praeparatio hominis ad gratiam habendam quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae ; et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae quae jam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur. Est autem alia praeparatio gratiae imperfecta, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis, quae tamen est a Deo movente. Sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam justificato, quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia... »

Cf. Suarez, *De Angelis* l. 5, c. 9 ; Pesch n. 422.

184. — C. — Gloria accidentalis. (Suarez, c. 29).

a) Adsunt conditiones requisitae.

b) Justus meretur gloriam essentialem ; atqui gloria accidentalis vel ex natura sua, vel ex Dei ordinatione, cum gloria essentiali conjuncta est.

185. — III — 1) Prima gratia habitualis.

A. — Nemo illam meretur de condigno. — Doctr. catholica.

Cf. Suarez c. 24 ; Wirceb. n. 452.

N. B. —Dicitur gratia habitualis *prima* per oppositionem ad gratiae augmentum. — Quoad notam theologicam hujus partis, vide Suarez n. 11-13.

Probatur.

a) *Trident.* VI, cap. 8 B. 806 (683) ; atqui in hoc capite concilium loquitur de omnibus operibus, ergo etiam de operibus supernaturalibus quae justificationem praecedunt. Cf. Suarez n. 13.

b) *Ratio.* Eam condigne mererentur contritio aut caritas, ultima dispositio ad justificationem. Atqui neque hae eam merentur condigne, neque ut eam praecedunt ordine naturae, quia sic nondum formantur gratia, neque ut gratia habituali jam formantur, quia sic gratia habitualis est meriti principium ; ergo nequit esse simul meriti terminus.

c) *Consensus doctorum.* Cf. Suarez, n. 12.

186. — B. — Peccator rite dispositus illam meretur de congruo. Sent. communis.

Suarez c. 37 ; Pesch. n. 432.

Probatur.

a) *Consensus doctorum.*

b) *Ratio.* Actus caritatis, seu contritionis perfectae, cujus intuitu Deus directe confert gratiam sanctificantem, habet omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno, una excepta gratia sanctificante ; ergo illae sufficiunt ad meritum de congruo. (Suarez, n. 11).

N. B. 1) Per actum caritatis vel contritionis perfectae peccator meretur immediate ipsam gratiam habitualem ; aliis vero actibus meretur id per quod ad eam perveniat, i. e. tum ulteriores gratias actuales quibus perveniat ad contritionem, tum attritionem cum sacramento paenitentiae. (Suarez, n. 13-21).

2) Quod caritas perfecta mereatur gratiam sanctificantem de congruo infallibili defenditur ut **probabilius**, quia videtur adesse promissio divina (Contra Van der Meersch : Cf. n. 178).

187. — IV. — Objectum meriti, de congruo fallibili tantum, sunt :

1) **Gratia efficax qua talis.**

A. — Non est objectum meriti condigni. — Theol. cert.

Wirceb. n. 451 ; Pesch n. 425 sq. ; Van der Meersch, n. 386.

a) Gratia efficax prae sufficienti est principium operis salutaris et auxilium quo Deus praedestinationem operatur.

b) Ideoque Patres collationem gratiae efficacis tribuunt occulto Dei consilio.

c) Ex consensu doctorum, per augmentum gratiae et gloriam coelestem, exhauritur meritum de condigno et deest omne fundamentum ad affirmandam ordinationem aut promissionem divinam.

d) Hoc meritum, vel existeret in omni actu meritorio justi — et jam non posset justus peccare ; vel in aliquibus tantum — et hoc gratis asseritur.

188. — B. — Sed cadit sub merito congruo fallibili. — Probabilius.

Wirceb. n. 451.

a) In opere bono sive justi, sive peccatoris adsunt omnes conditiones ad tale meritum, etiam respective ad gratiam efficacem. Deus intuitu bonorum operum moveri potest ad dandam gratiam efficacem, licet tantum ex bonitate.

b) « Actus boni peccatoris sunt *congrue* meritorii gratiae habitualis (Cf. n. 186) et actus similes justi sunt similiter meritorii perseverantiae (Cf. n. 190) : sed tum gratia habitualis, tum perseverantia includit gratiam efficacem ». (Wirceb. l. c.)

189. — 2) Perseverantiam finalem.

A. — Justus non meretur de condigno. — Theol. cert.

Cf. De Grat. Act. n. 95 ;

Suarez, c. 26 ; Wirceb. n. 453 ; Pesch. n. 425 ; Van der Meersch, n. 386.

a) Perseverentia finalis manet omnibus incerta.

b) Ne una quidem gratia efficax est objectum meriti condigni ; ergo, a fortiori, non collectio omnium gratiarum efficacium.

c) Nulla operatio ordinatur ad merendam conjunctionem mortis cum statu gratiae.

190. — **B.** — **Sed de congruo fallibili,** exclusa tamen prima gratia efficaci quae est principium totius hujusce meriti. (Cf. Suarez, l. 10 c. 7 n. 16). — Cf. De Gratia Act. n. 98.

Si agatur de merito congruo late dicto, seu de impetratione per orationem thesis est **certa.**

Si vero agatur de merito congruo stricte dicto, est **probabilis,** quia :

a) Adsunt omnes condiciones.

b) Justus perseverantiam meretur pro alio ; ergo et pro seipso.

Sententiam ita explicat Suarez (l. c. n. 18) : auxilia efficacia dari possunt ea lege, ut homo, bene utens primo auxilio, recipiat secundum propter bonum usum primi, et ita porro.

191. — 3) **Reparationem post lapsum.**

A. — **Nemo meretur de condigno.** — **Doct. cath.**

Suarez, l. 12 c. 27 ; Wirceb. n. 453.

a) Nemo meretur condigne gratiam habitualem primam (n. 185).

b) Peccator non potest mereri, neque ut vivat post lapsum, neque ut habeat gratiam efficacem, neque ut sit dignus vita aeterna eo tempore quo dignus est aeterna morte.

c) Justificatio gratuita.

192. — **B.** — **Sed de congruo fallibili.** — **Probab.** — Negat S. Thomas I. II. q. 114, a. 7. — Vide Van der Meersch n. 390, 391.

Cf. Suarez, l. 12 c. 38 n. 3 ; Wirceb. n. 453 ; Pesch n. 429.

N. B. Quaestio movetur non de peccatore, sed de justo ; utrum scilicet justus, dum justus est, possit per opera bona mereri reparationem post lapsum.

a) Argumentum probabile : hujusmodi meritum non repugnat, et divinam misericordiam decet ut, non obstante superveniente peccato, recordetur praecedentium meritorum, propter illa facilius gratias concedendo quibus convertatur, praesertim si merita insignia praecesserunt.

b) Auctoritas theologorum.

Cf. S. Bonavent. II D. 28, dub. 2 (t. II p. 691) ;
Scot. IV, D. 2 q. 1 a. 2 in fine ;
Bellarmin, *De Justific.* l. 5. c. 2 ;
Suarez, l. 12 c. 38. n. 6 ;
Ripalda, D. 95, s. 3 ; et multi alii.

Ipse S. Thomas aliquando hanc sententiam admisit, in cap. 6 ad Hebr., lect. 3.

193.— 4) **Gratias actuales nemo meretur de condigno, sed tantum de congruo fallibili.**

Etenim non datur divina promissio ; adsunt tamen conditiones ad meritum de congruo fallibili. Cf. Jungmann n.376 ; Gutberlet-Heinrich,t. VIII, p. 692, II.

Suarez (c. 26, n. 26 sq.) admittit auxilia sufficientia et necessaria, quae post aliquod meritum de condigno augmenti gratiae dantur, probabiliter cadere sub idem meritum.

194. — **Schol. I.** — « ...Si **temporalia bona** considerentur, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito, sicut et augmentum gratiae et omnia illa quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus, etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam ; et in tantum sunt *simpliciter* bona hujusmodi temporalia... Si autem considerentur... secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid ; et ita non simpliciter cadunt sub merito... » S. Thomas I. II. q. 114, a. 10.

Cf. Pesch n. 430 ; Van der Meersch n. 391 ; Salmantic. Disp. 6, dub. 6.

195. — Schol. II. — Quibusnam actibus fiat augmentum gratiae habitualis ?

Suarez, l. 9, c. 3 ; 12, c. 21 : Vasquez, I. II, D. 220, c. 2 sq. ; Hurter, n. 238, 3.

Controvertitur. — Thomistae quidam tenent **actus remissiores** augmentum non mereri. Ita, v. g. Bañez, II. II. q. 24, a. 6 concl. 3 et 4 (ed. 1586 p. 901 sq., p. 941).

S. Thomas, I. II. q. 114 a. 8 ad 3um docet: « quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiae... sed gratia non statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet sufficienter fuerit dispositus ad gratiae augmentum. »

Alii tamen volunt augmentum fieri statim, etiam post actus remissiores.

Cf. De Justificatione n. 121, et tract. de Virtutibus in genere.

196. — Schol. III. — Num, de potentia Dei ordinaria, possimus quidquam mereri aliis ?

Cf. Suarez, l. 12, c. 16 et 35 ; Ripalda, D. 96 ; Hurter n. 238, 5 ; Schiffini n. 392 ; Van der Meersch, n. 392 ; Wirceb, n. 458; Van Noort, n. 225 ; Salmantic. Disput. 6, dub. 2.

Paucis **doctrina communior** de hac quaestione proponitur.

I. Nullus homo purus potest de condigno aliquid alteri mereri, quia :

1) Hoc proprium est Christo, capiti generis humani reparandi. Cf. De Verbo Incarnato.

2) Deus meritum de condigno ordinavit tantum in bonum ipsius merentis. Hujus divinae ordinationis indicari possunt quaedam rationes convenientiae :

a) Meritum de condigno est dispositio ad propriam sanctificationem merentis ; nemo autem recte disponitur per actionem alterius. (Suarez c. 16 n. 7).

b) Meritum cujuslibet justi finitum est, ideoque cuilibet operi meritorio definitus gradus gloriae respondet. Hinc, nemo alteri de condigno meretur gradum gratiae vel gloriae, quin Deus teneatur ex justitia hunc gradum denegare ipsi merenti ut illum alteri largiatur : quod non videtur recte ordinatum.

Quid dicendum de potentia Dei absoluta, Cf. Suarez c. 16 n. 11-13.

197. — II. Quidquid justus meretur sibi, et aliis mereri potest de congruo fallibili, et praeterea ipsam primam gratiam actualem.

1) « Quia homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius,licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat. » S. Thomas, I. II. q. 114 a. 6.

2) Continetur implicite in dogmate de Communione Sanctorum. « Ut opera bona justorum alteri peculiariter prosint, in ejus commodum spirituale ordinari debent, et haec ordinatio sive intentio juvandi alium non aufert nec minuit meritum de condigno ipsius operantis. Quod autem indispositio ejus pro quo opus bonum offertur effectum meriti impedire queat, apertissimum est ex eo, quod ipsum meritum de condigno Christi mala voluntate multorum frustratur. » (Van Noort,l. c.) Cf. Suarez,c. 35 n.5.

N. B. 1) Rationes allatae pro inalienabilitate meriti de condigno non valent de satisfactione. — Vide doctrinam de Indulgentiis.

2) Plures concedunt etiam peccatores aliis posse mereri.

CAP. IV. DE MERITI REVIVISCENTIA.

Thesis XXIV. — Merita peccato mortificata denuo per poenitentiam reviviscunt, et quidem probabilius quoad totam gratiam et praemium ipsis debitum.

Salmant. Disput. 5 ; Ripalda, D. 91 ; Hurter III n. 239 ; Schiffini, *De Gratia* n. 377 sq. ; Wirceb. t. X p. 58-65 ; Billot, *De Sacramentis* t. II p. 97-111 ; Scheller, *Zeitschrift*, t. 15 (1891) p. 19 sq.

198. — I. Stat. Quaest. — 1. Thesis haec aequo jure pertinet ad tractatum de Paenitentia et ad tractatum de Merito. Paucis illam adumbrabimus, remissa ad Tractatum de Paenitentia pleniore probatione.

2. Pro diversa relatione ad meritum, **opera distinguuntur**

viva : fiunt in statu gratiae et conferunt jus ad gloriam.

mortua effective : seu mortifera, sunt peccata quae causant mortem.

privative : non sunt peccata, sed opera a caritate nondum informata.

mortificata : media inter opera viva et mortua : fuerunt viva et meritoria, sed peccato mortali superveniente amiserunt efficaciam meritoriam.

3. Factum reviviscentiae theologi omnes admittunt. **Prima pars theseos igitur est certa et communis.**

199. — 4. De modo theologi inter se disputant. **Quatuor sunt praecipuae sententiae.**

a) Ex meritis redivivis poenitenti praemium dabitur accidentale, scil. gaudium de illis. — Sic forsan S. Thomas, III q. 89, a. 5 ad 3um.

b) Opera revivificata non augent praemium essentiale. Gloria datur tantum operibus post paenitentiam factis, sed datur duplici titulo, quod magis gloriosum est et gaudium auget. — Ita : S. Bonavent. IV D. 14, p. 2, a. 2 q. 1 ; Bañez, II. II. q, 24 a. 6, dub. 6, concl. 3^{a} ; Billot, l. c. p. 111, et alii.

c) Opera reviviscunt ad proprium praemium, non tamen ex toto, sed juxta proportionem contritionis qua quis a peccato resurgit. — Ita Valentia (III. D. 7, q. 6, punct. 1), D. Soto, Gonet, Billuart, et alii.

d) Merita mortificata reviviscunt quoad totum. — Ita Scotus, IV D. 22, a. 2, n. 9 ; Suarez, *Relect. de revivisc. merit.* D. 2, s. 2 ; Vasquez, I. II. D. 221 ; de Lugo, *De Paenit.* XI, 2, et alii.

Doctores vero hujus sententiae non conveniunt quoad omnia.

Scotus et Salmanticenses negant totam gratiam reddi statim : pars reservatur usque ad ingressum in gloriam.

Scotistae quidam (v. g. Frassen, a. 1, s. 3, q. 4, n. 15 sq.) : merita reviviscunt integraliter ad gloriam, non vero ad totam gratiam.

Nos vero admittimus merita reviviscere ad totam gratiam et totam gloriam.

N. B. Quidam doctores magis dubitant de reviviscentia gratiae collatae ex opere operato. Sic v. g. Billot, quoad gratiam SS. Eucharistiae. (Cf. De Sacram. p. 79, § 2).

200. — **II. Breviter indicantur argumenta.**

A. Factum reviviscentiae.

Consensus doctorum.

Trident. VI, cap. 16 et can. 32 B. 809 (692), 842 (724).

Ratio : multa opera, etiam heroica, nullum haberent praemium.

B. Modus : merita reviviscunt statim ad totam gratiam et totam gloriam.

Argumenta partis primae etiam hoc videntur demonstrare.

Nullum argumentum validum contra.

« Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum : secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. »

Ephes. I, 5. 6.

Index Analyticus

De Justificatione.

	Thes.	Pag.
PRAENOTANDA.		
Explicatio vocis		3
Methodus		3
Tractatus divisio		4
Adjumenta bibliographica		4
LIBER PRIMUS : DOCTRINAE REVELATAE SUMMA.		
Cap. I. Scriptura et Traditio	I	6
Cap. II. Concil. Tridentinum	II	13
LIBER SECUNDUS : DOCTRINAE REVELATAE EXPLICATIO.		
Cap. I. Dispositiones requisitae.		
Dispositio aliqua requiritur	III	18
Requiritur fides dogmatica	IV	20
Quaenam veritates fide stricta credendae sint . .	V	20
Sola fides non justificat	VI	20
Aliae dispositiones requisitae. Schol. n. 30		21
Dispositionum causalitas	VII	22
Cap. II. Justificationis natura.		
Sect. I. In genere.		
Delentur peccata ; fit interior hominis renovatio .	VIII	23
Sp^us^ S^us^ habitavit etiam in justis Veteris Legis. Schol. n. 44		29
Infunduntur etiam virtutes. Schol. n. 45		29
Sect. II. In specie.		
Art. 1) Effectus negativus : Remissio peccatorum.		
Quomodo gratia expellat peccatum . . .	IX	30
Nunquam existit gratia simul cum peccato mortali. *Coroll.* n. 54		34
In alio ordine peccat. mortale potest remitti sine gratiae infusione. Schol. n. 55		34
Quomodo remittatur peccatum veniale. Schol. n. 56		34
Art. 2) Effectus positivus : Deificatio.		
Probatur deificationis factum	X	34
« Si autem filii, et heredes... » Rom. VIII. 17. *Coroll.* n. 62		37

Distinctio inter effectum positivum et negativum. Schol. n. 63 37
Factum explicatur . . . . . XI 37
Utrum natura divina participetur univoce an analogice? Schol. n. 70 40
Deificationis causa formalis . . . . . XII 40
Utrum deificatio nostra Sp^ui S^o sit propria an appropriata? . . . . . XIII 46
Relatio inter gratiam creatam et increatam Schol. n. 81 48
Describitur gratia sanctificans creata . . . . . XIV 48
Utrum gratia sanctificans creetur? Schol. n. 90 51
Utrum absolute homo possit deificari sine gratia sanctificante. Schol. n. 91 52
Utrum absolute qui habet gratiam sanctific. possit non esse filius adoptivus? Schol. n. 92 52
Gratia habitualis operans et cooperans. Schol. n. 93 52
Unio justi cum Christo . . . . . XV 53
Dignitas gratiae quatenus est gratia Christi. *Coroll.* n. 103 58
De filiorum pane. Schol. n. 104 58
Cap. III. Justificationis causae. 60
Maria Mater gratiae. Schol. n. 114 61
Cap. IV. Justificationis proprietates.
Inaequalitas . . . . . XVI 62
In quonam consistat gratiae augmentum? Schol. n. 119 63
Utrum gratia sanctificans possit augeri sine limite? Schol. n. 120 63
Quandonam augmentum conferatur? Schol. n. 121 64
Amissibilitas . . . . . XVII 64
Cum gratia sanctificante pereunt reliqua dona infusa, praeter fidem et spem. Schol. n. 125 65
Quomodo peccat. mortale gratiam expellat? Schol. n. 126 65
Num gratia sanctificans minuatur? Schol. n. 127 66
Conservatio . . . . . XVIII 67
Cognoscibilitas . . . . . XIX 68

De Merito.

Praenotanda.
Definitio. 71
Conspectus doctrinae. 72
Adjumenta bibliographica. 72

Cap. I. Meriti existentia . . . . . XX 73
Undenam veniat meriti condignitas? Schol. n.147 74
Quomodo merces debeatur ex justitia? Schol. n.149 75
Cap. II. Meriti conditiones.
ART. 1) AD MERITUM DE CONDIGNO.
§ 1. *Positive* . . . . . XXI 76
Major gratia habitualis auget meritum. Schol. n.166 81
Majus meritum quia sumus membra Christi. Schol. n.167 81
Quaenam supernaturalitas ad merit. de condigno requiratur? Schol. n.168 82
§ 2. *Negative* . . . . . XXII 83
Omnis actus justi bonus, meritorius est. Schol. n.173 85
E triplici fonte pendet meriti augmentum. Schol. n.174 85
Quodnam sit meritum actus externi? Schol. n.175 85
ART. 2) AD MERITUM DE CONGRUO. Schol. n.177 86
Cap. III. Meriti objectum . . . . . XXIII 87
Quid de bonis temporalibus? Schol. n.194 92
Quibusnam actibus gratia habitualis augeatur? Schol. n.195 92
Num possimus mereri aliis? Schol. n.196 92
Cap. IV. Meriti reviviscentia . . . . . XXIV 93

234
R442

3523

RIEDINGER, S.J.

AUTHOR
Tractatus de Gratia Christi

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	B O'Rourke OCT 2	
	Sprague Nov. 19	
	Peter FEB 25	
	MAR 25	

3523